


7
9 L
8




MARCI ZUERII

BOXHORNII

HISTORIA OBSIDIONIS BREDÆ

ET

Rerum Anno cIↄ Iↄ c xxxvii gestarum.





MARCI ZUERII
BOXHORNII
HISTORIA
OBSIDIONIS
BREDÆ,
et Rerum
Anni
C XXXVII



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina Isaaci Commelini. A°. 1640.



Celsissimo Principi

FREDERICO HENRICO NASSOVIO,

Principi Arausionensium, Fœderatorum Belgarum militiæ supremo Imperatori,

PIO, FELICI, INVICTO.



I quanta maximorum principum fama est & tua, Celsissime Imperator, tantum ea præsidii haberet, ad memoriam posterorum & pulcherrimarum rerum sustentandam æternitatem, potuissem his curis supersedere. Tu enim tot tantisque rebus tuis cœlo æquatis, magnitudine nominis & æstimatione terrarum orbem quaqua pridem implesti. At vero plus sæpe in ea credulitatis est, quam fidei; & nescio quo maximarum rerum fato, inter diversa & incertis plerorumque innixa judicia, ipsa etiam prædicatione summa facinora, inprimis bellorum, aliquando deteruntur. Itaque ad Annalium, velut arrham immortalitatis ac sedem, re-

currendum est monumenta. quorum constantia ac fide injuriæ oblivionis, & dubia cespitantis famæ duntaxat profligantur. Ego quoque studia & industriam huc converti; tum inprimis, cum Bredam nuper, aream Martis & palæstram, maximi terroris vi aggressus, in ipso hostium aspectu castris incinctam, & inter tot vanas eorum molitiones celerrime expugnatam, illustrissimi argumenti benificium summis ingeniis offerres. In quo si qui temeritatem nostram arguerint, veri saltem curam commendabunt. Et si optimus quisque cupidine gloriæ ducatur ac æternitatis, quo tandem pacto tradere quantilli nominis nostri memoriam licebat, nisi id rebus tuis præscriberetur? quæ etiam infimorum monumentis utcunque designatæ, quavis ætate, & ubique nationum legentur. Deprecor interim apud te & posteros ingenii mei tenuitatem. Cui si tu tantum ignoveris, vota nostra & invidentium supergressi sumus. In quam spem vel ideo adsurgit mihi animus, quia cætera omnia sunt tua; quia providentiæ, constantiæ, felicitatis, & quæ alia hic exempla, tam magna & inusitata sunt, quam tua. Nec enim quidquam hic nostrum est, præter fidem. Ad quam cum nihil nobis defuerit, multa illis & diversa reliquimus, qui mendacia tantum & adulationes vulgavere. quæ ut hac ætate plerorumque vitia sunt aut fiunt, ita nec transcribi posteris debent, nec à te admittuntur. Sed nec pompa etiam

prolixæ

prolixæ commendationis. Cujus terminos omnes cum rerum tuarum prodigiis, ipsa quoque hostium fama, longissime excesseris, præter meæ & omnium in te pietatis vota nihil jam superaddo. Deus te servet, invicte Imperator.

Celsissimo nomini tuo

Devotissimus

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

CONSTANTINI HUGENII,

Equitis, Zuylichemi Domini, Celsissimo

Arausionensium Principi à Consiliis

& Secretis,

In

MARCI ZUERII BOXHORNII

Historiam Bredæ expugnatæ,

EPIGRAMMA.



Actenus edomitæ muti miracula Bredæ
Scivimus, & captam vix capit ulla fides:
Hactenus attoniti, stupor, admiratio Belgæ est,
Quæque palam vidit, pæne tacendo negat.
Boxhornij princeps ingrata silentia solvit
Par operi, priscis æquiparanda manus.
Quoque sat Auriaci pateat vaga laurea Martis,
Victoris populi Martia verba movet:
Cœptaque terribili memorat confecta trimestri,
Qualibus Eugeniæ res brevis annus erat,
Hic ubi surgentis frustra spectator arenæ
Horruit ad primæ mœnia molis Iber.
En quid agis, Lector? Scriptæ moliris an actæ
Prodere, an utrivis congrua verba rei?
Tolle manum. Scriptæ laus est non unius ævi,
Totius acta labor posteritatis erit.

CONSTANTER.



MARCI ZVERII BOXHORNII

OBSIDIONIS BREDÆ

ET

Rerum anno cIↄ Iↄc xxxvii gestarum

HISTORIA.



Ermaniæ ſecundæ nationibus ſinguli olim Principes &, illæſa libertate, in eos obſequia fuere. Mox ad Burgundos, dein Auſtriacos per connubia devolutæ, Cæſare Carolo exſtincto, unius Philippi imperio omnes tenebantur. Cujus immodica dominatio, & ideo domi in diverſa impulſæ: pars vi oppreſſa, aut oblita libertatis; pars exutis tandem nimia uſurpantibus, & tædio ſervitutis in fœdus ac Rempublicam coiere. Geſtum exin bellum, quo nec virtute ducum nec magnitudine rerum aut eventu illuſtrius ullum fuit. Namque inde regum maximi, totius fere Europæ & Americani orbis potentiæ aut ſocietatibus innixi; hinc populus ſitu modicus, & opibus primo exhauſtus, ſpe

tamen maximâ, creſcentibus mox rebus, pro libertate ſeu dominatione acriores indies committuntur. Prima Fœderatorum cura Guilielmo Naſſovio, & inter ardua ſucceſſus fuit. quo infami parricidio tandem ſublato, Mauritius filius rebus admotus, civile bellum quaſi in externum convertit; & limitibus paſſim prolatis, poſt urbes validiſſimas vi aut aſtu captas, acceptis vitæ quinquaginta ſeptem, potentiæ autem triginta annis, inter rara foris, pauca domi adverſa & compoſita, fato conceſſit. Tradita tum imperii ſumma Frederico Henrico. cujus initia obſeſſa ante a Spinola Ambroſio Breda & mox capta afflixerat. Niſi quod tractâ diu obſidione, & ærarii opibus attritis, proſpera minus læta hoſtibus evenerint, & ſequutis poſt annis Fœderatorum res, mira felicitate, quaqua augerentur. Namque traducto in hoſticum bello, Oldenſalia primum, dehinc Grolla, inde Sylva Ducis Veſaliaque, vi in deditionem aut per inſidias acceptæ, finibus Fœderatorum promotis aut tutioribus, ad exſequenda alia victoriæ pretio valuere. Turbatis enim hoſtium rebus, & diſceſſu Spinolæ, bellis in Italia gerendis odio quorundam aut invidia è Belgio exciti, nullo adhuc inter certamina potentiorum aut quovis duce, non minus eorum vitiis, quam ſua virtute Auriacus utebatur. Inter quæ claſſibus hoſtium domi ad Scaldin, foris Occidentem Indiæ, captis vel diſſipatis, animus Fœderatis ac opes augebantur. quæ Heinſio inprimis Grotioque, decoris ingeniis, memorata ſunt, pari auctorum facundia ac libertate. haud dum repertis quorum curæ in poſt facta convertantur. Sive quod pleriſque vetera tantum æſtimantibus nec

præ-

præſentium cura ſit, nec poſteritatis; aut quod aliis domi meditata tempore ac ſtudio & ſingula pariter excoluntur. Niſi quod inter falſa ac incerta famæ, rerum fide haud pauci deſtituantur. At mihi venia ſit ſi ad ea, quæ intenderim, viſa aut certo comperta attulero, ſine odio ac gratia, pretium veritatis. Igitur Fœderati Venloâ ac Ruremonda, Gelrorum oppidis, ac dein Trajecto ad Moſam, urbe Brabantiæ validiſſima, expugnatis, inter diſtracta hoſtium conſilia & eluſa, eodem adhuc rerum ſucceſſu & majorum ſpe utebantur. Tum quoque Gallorum in Hiſpanos odio, interque belli meditamenta, novæ arctæque ſocietatis pactis Fœderatorum arma urgeri. Unde utriſque occaſio major, & exſequi promptum quæ deſtinaverant. Quippe jam tum à principio belli cognitum, ſocietatibus vicinarum gentium, Galliæ potiſſimum Britanniæque, id valuiſſe. quarum hæc in vindicias cauſſæ noſtræ, cum eundem hoſtem agnoſceret, prima conjuravit. Nunc compoſitis cum eo rebus, eâdem in nos fide, pacis potius quam belli artibus blanditur. At alia elapſi proxime anni Gallorum conſilia intendere, quos præter deſiderium antiquæ & ab Hiſpanis interceptæ per Burgundiam Flandriamque dominationis, novæ etiam injuriæ ad arma invitabant. Unde petita vicinorum fœdera Auſtriacis maxime adverſa. qui omnium avidi, ope, pecunia, conſilio, cum idem ſinguli affectent, viciſſim juvantur. Et jam bellum, quod palam nondum indixerant, quo promptius nocerent, clam gerebant. Igitur verſis in Lotharingiam Cæſaris armis, Sueci, qui interiora Germaniæ jam inſederant, in ſocietatem accepti:

& eductis Gallorum copiis Alsatij & qui proximi Rheno tentati. Nec minus ex Fœderatorum rebus præsidij tum erat; si pariter effusis copiis, in extima Belgarum aut alia moverent. Unde fœdus, quod utrique genti usu rerum hactenus laudatum, arctius tunc petitum; sive jungendis copiis; sive quanquam locis divisæ in hostem simul veherentur. Nec id novum, sed jam olim sæpe flagitatum; urgente Henrico Magno, cui eâ de re ante annos ferme quadraginta per Busenvallium & Caluartium legatos actum. Irrito tunc conatu, non quod consilij auctoritatem Fœderati abnuerent; sed modicæ Reipubl. vires tam ardua nondum tentabant. Quæ nunc auctæ, & apud utrosque ratio erat. Quamquam enim terra & dominatione divisi, in eundem hostem ibant, imperio utriusque insidiantem & libertati. Cujus ut juncta Austriacorum potentia gliscebat robur, ita non nisi pro magnitudine mali accepto remedio,
„ & sociatis armis, sistere vel infringere erat. Ad
„ quæ, si soli ad arma concurrerent, ali potius bel-
„ lum quam tolli; non tam exui hostem, quam ex-
„ erceri; quanquam victores sæpe nunquam sum-
„ mam rerum conficere, prudenter differebatur.
Nec alias ad hujus consilij prosperitatem successumque tam multa simul concurrere. Nuperæ Fœderatorum res, & ex iis inter adversos metus; captæ ad Mosam civitates patrandis quæ intenderant opportunæ; prompta in Hispanos Gallorum arma; modicæ illorum vires, sociis distractis alibi aut fatigatis. Vnde segnibus occasionum esse non licebat, quæ raro tam opportunæ deliberaturis offeruntur. Præerat tum Hispanorum Belgio Fer-

dinan-

dinandus, Philippi IV. frater, Cardinalis dignitate primis adhuc juventæ annis illuſtris. Namque pridem Philippo II. nata Iſabella, Alberti Auſtrij vidua, Belgio in dotem accepto, liberis haud relictis exceſſerat; non parum commotis Provinciis, a quîs modeſtia ejus ac comitas, bonitate indolis, aut cognitis Belgarum ingeniis, exuta gentis ſuæ ambitione, ac, tædio bellorum, prona in pacem conſilia, morte jam intercepta, velut caſtrorum ac patriæ matris, nequidquam celebrabantur. Accenſumque ejus deſiderium Ferdinandi adventu, qui auctus ubique copiis, Italiam primo, mox Germaniam & victor Suecorum ad Nordlingam caſtra, dein Belgium invectus, ſuo an aliorum judicio, pro gentis fide exteris libentius utebatur. Vnde ſuſpicio utrimque adverſa, & publica damna privatorum odiis tum excepta, eo acrioribus quo etiam ſecunda principum a poſtpoſitis minus æſtimantur. Ad quæ ingens ex Gallo metus, apertas Provincias, & impeditam quaqua Auſtriacorum potentiam cogitantibus. Nec belli cauſam tantum ſed neceſſitatem Ludovici regis litteræ mox aperuere. Se ſuis ac ſociorum injuriis, diſſimulatis » ſæpe & interea accenſis, clam, palam, domi, foris » ad arma provocatum, ea propulſare velle ac infer- » re. Bellum pacis nomine non uſu mutatum. Id » tot Hiſpanorum inſidiis nimis diu expertum. quo- » rum ambitione ſecuritas gentium, & perfidia pacta » conventa ſociorum turbentur. Benificia patris ac » ſua odiis penſata. Nam quod duodecennij induciis » proſpera Fœderatis Belgarum bella ſopita; quod » conatus principum hoſtilia Cæſari ac Germaniæ » minitantium interrupti; quod imperij & Auſtriacæ »

„ gentis decus inter tot nutantes, tot infeſtos, & „ Gallorum auxilia poſcentes, hactenus obſervatum, ſuis conſiliis ac legationibus effectum. At, „ hercule, adverſa inter hæc meditatos. Vallem „ Tolinam, ac Rhetos, veteri Gallorum ſocietate „ nobiles, invaſiſſe; copias Hiſpaniæ Italiæque cum „ Germania utraque opprimendis ſociis miſcuiſſe; „ pactis, in quæ Mouſonæ ac alibi itum, interpretando violatis. Sabaudiæ Principi, Gallis nexo, inſidias; Mantuano Duci, tantum quia Gallici ſanguinis, vim feciſſe; Lotharingiæ Principem eorum auxiliis quintum in ſe armatum; rebellionis „ ac diſcordiarum autores in ditiones ſuas immiſiſſe; „ regij ſanguinis Principes, ſubornatis clam Legatis, inter ſe commiſiſſe; denique conſiliis, pecunia, promiſſis in ipſa Galliæ viſcera ſuos ac regni „ hoſtes pellexiſſe. quæ non ex vanis ſuſpicionum, „ ſed interceptis litteris ac cognitis adferri. Deſtinata prævenire ac ſua tueri, ſatis hactenus habuiſſe; ne eadem aggreſſus, bellum potius quam pœnitentiam accelerarent, & novis motibus florentiſſima Europæ regna miſceret. Publicam orbis pacem æquitati ultionis a ſe prælatam, quanquam „ inter Auſtriacorum tot hoſtes cum fiducia ſucceſſus auſuro. At conſiliorum modeſtia ſatis jam „ peccatum. Nec tolli injuriarum cauſſas ſed veteres novis onerari. Ferociores enim exſtitiſſe quîs „ parceret; & magis nocuiſſe quîs prodeſſet. Nec „ tam in armis vim gentis eſſe, quam artes inter ac „ dolos, quæ in obſcuro & ideo difficulter evitantur. Pace domi frui, & diſcrimina belli aliis per „ proximos inferre uſitatum illis, & inter conſilia „ haberi. Ac ſua idcirco jam mutari. Hiſpanos

Flan-

Flandriam velut belli ſedem & opportunam inſi-„
diis hactenus habuiſſe. Non adverſum Fœderatos„
Belgas modo, quos obnoxios nulli, ac liberos pa-„
ctis induciis agnoverint, ſed etiam Gallos, in quo-„
rum proximas civitates conſilia ſæpe converterint.„
Præſidiis militum ideo diſpoſitis pacis impenſas„
velut belli fuiſſe. quod clam ſibi illatum, cur pa-„
lam differret? Cur inter accinctos, ſecuritatis fi-„
ducia ac pacis, perfidiæ omnia temerantium ſui„
exponerentur? At jus gentium ac Majeſtatis et-„
iam violatum. Trevirorum Principem acceptis„
Galliarum ſubſidiis, non in noxam aliorum, ſed„
ſuam, Germaniâ inter tot bella ac factiones diviſa,„
ſecuritatem, Hiſpanorum vi exutum, avectum,„
& quanquam ſæpe repetitum, ſua cum contume-„
lia, etiamnum a Ferdinando detineri. Ad arma„
oppreſſa innocentia, & delatæ tutelæ pietate ſe co-„
gi. quorum vim jam experturos qui ſollicitarint.„
Æquitati enim cauſæ nec numen nec ſe defutu-„
rum. Ad hæc, nova Batavorum fœdera, &, in quæ
convenerant, profutura Belgis & ad defectionem
ſollicitandis ſpargebantur; Hoſtilia inferri in ſer-„
vitutem ſuam amplexos, & contumaces. Cæte-„
ris juvandis veniſſe. Pellerent Hiſpanos, libertate„
& nullius imperio quam ſuo, religione haud mu-„
tata, fortunis ſartis tectis uſuri. Quod ſi omnibus„
haud viſum, ſinguli tentarent. quos præſidia ad-„
verſum aliorum vim in manu ſua ac ſocietate in-„
venturos. Auderent tantum. Nam cauſſam hujus„
belli eſſe ejus finem, nec alia intendi quam om-„
nium libertatem. Ad quæ Ferdinandus libellis vul-„
gatis palam teſtabatur; Fœdus Vervinianum, per-„
fidia Gallorum, nulla ſuorum culpa interruptum.„

Dirarum

„Dirarum in defecturos inprecationibus conve-„nisse; Gallis Hispanisque cum cœlo & terra dura-„tura pax esset;inter se bellum non gererent; aliun-„de ne indicerent; ne quem exercitum qui contra „Hispanum Gallumque adduceretur per suos fi-„nes transire sinerent; neve ulla ope juvarent; pa-„ctis cæteris, ex quis damnum aliis, vicissim ob-„nuntiarent. At nihil a Gallis prætermissum, quis „amicitia violatur; socios Hispanorum ac subditos „pro hostibus habuisse; cum hostibus se conjunx-„isse; quo soli pace domi fruerentur armis in Bel-„gas dolo translatis. quorum qui prompto in Hi-„spanos obsequio, uno atque eodem jure fœderis „in amicitiam acceptos, vi invaserint, subsidiis Ba-„tavo porrectis. Nova fœdera Verviniano adversa „pepigisse. Impulsos ab iis Suecos in Cæsarem & „magna pecuniæ vi sustentatos. In Austriacam gen-„tem clam primo & per alios, mox ipsos invectos. „Oppida circumcirca per proditiones & insidias „aggressos, itinera sociis infesta reddidisse. Vereda-„rios ex Hispania commeantes stitisse. Milites in „Sequanos & Luxenburgorum ditionem ante „bellum indictum submissos. Quæ hactenus tole-„rata; ne sublata diffidentis Europæ pace mala au-„gerentur, quanquam justæ bello caussæ essent. „Sed ad extrema nunc deventum; & ipsos sibi Gal-„los ultro bellum indixisse; sublata etiam domi pa-„ce, quam hactenus foris violaverint. Partitos di-„tiones Belgij cum Fœderatis, spe ac pactis invasisse „quæ nondum occupaverint. Ante bellum vim „infami sacrilegio & inusitata crudelitate fœdatam. „Id Thenas, Brabantiæ oppidum, testari. Ubi or-„dini nec sacro nec profano, nec sexui, nec ætati

cui-

cuiquam pepercerint. Ad Orchimontium expe- »
ditionem, Auriaci & Fœderatorum titulo, in ſpe- »
ciem velatam. Nunc, ſublatis ſimulachris, neceſ- »
ſitatem belli, Trevirorum Principis nomine præ- »
tendi. Egregiam ſcilicet rupti fœderis cauſſam; »
quâ nondum datâ illud temeratum. Miſſum »
quidem fæcialem, bellum indicturum, ſed nul- »
lius auctoritatis, nullis publicis litteris pro fide in- »
ſtructum. Nec, hercule, minis Gallorum ſe ter- »
reri, majorum exemplis & virtute uſurum; iniqua »
tantum & Chriſtiani ſanguinis diſpendia dolere, »
averſari. Cur ſe, alterius tuentem locum, poſtu- »
latis de Treviro dimittendo urgeri, negato tem- »
pore, quo principum, quorum imperia agnoſce- »
ret, Cæſaris & Hiſpani juſſa exploraret? Et cur »
Galli agerent cauſſam alienam? Trevirum agno- »
ſcere Cæſaris, non Galliæ, cultum. Cæterum ne- »
ceſſitatem & iniquam hoſtium cauſſam pro ſuc- »
ceſſus fiducia offerri. Denique Divûm ac homi- »
num fidem ſerio venerari, agnoſcerent, tam pro- »
cul a culpa ſe, quam cauſſa eſſe; & inter mala, quæ »
eventura, ſemper innocentem. Bellum Gallos quæ- »
ſiviſſe, & inventuros. Quæ haud iniqua verbis, »
re ſubdola, ſuis facilius quam aliis perſuadentur.
Niſi quod ignaris rerum prona etiam in falſa ſit
fides. quorum judicia dicendo tantum finguntur.
Aliter imbutis ſapientibus; quibus inter arcana
rerum exercitis, explorata tantum probantur. Un-
de certius judicium, & non quibuſvis fides. Inter
iſta diverſis utriuſque factionis ingeniis ſtudiiſque
de ſingulis acriter, & libellis multis certatum. qui
eodem omnes animo haud editi, nec eodem le-
gebantur, fictis autorum nominibus aut celatis.

Hiſpanos inter extrema religionis, ſtudia rebellium, Batavorum inprimis, accenſa, nimia affectatio dominationis, aliaque, ut olim, cum Gallorum contumelia & atrocitate repetebantur. Ab » his contra pronuntiatum; Principum ſuorum glo- » riam fruſtra convitiis tentari. quos ut cauſſa ſupe- » riores, ita bello futuros. Relligionem Hiſpanorum » ſceleribus obtendi. Id Siſenandum regem inter ar- » cana imperij habuiſſe, & poſteros ſequutos. In ſuo » autem damnari, quod pro gloria eſſet. quem a Fœ- » deratis undiq; excitum, auxilia promittentem pa- » riter ac præſtantem, vindicem afflictæ omnium » fortunæ & libertatis, ac ſuæ, cur divini humanique » juris violati poſtularent? Cur fœdera gentium, » quæ exempla majorum & auſpicia rerum ſuarum » ſequutæ, Gallorum ſocietati innexæ, iniqua impe- » ria detrectarent, aut prævenirent, velut impia & » adverſum numen ſancita deferrent? At, liberam » Batavorum gentem, &, induciis nuper factis, Hi- » ſpanos agnoviſſe. De magnitudine libertatis eo- » rum ac cauſſa agi. quam ad ſacra pariter ac profana » extendi. Agnoſcerent rebelles, quorum vim ſenti- » rent; & iniquam cauſſam, quam tot annorum ac re- » rum ſucceſſu cœli indulgentia probaret. Ex ho- » ſtium clade Rempubl. creviſſe, & confeſſione tot » regum ac principum æſtimari. Opprimi omnes » Hiſpanorum potentia, niſi opprimatur; periiſſe » niſi prævenerint. Terminos regnorum, & natu- » ræ ipſius fœdera convelli ab iis & moveri. Iſſe olim » in terras ignotas & ultimas mundi metas; nunc » concupiſcere quod neſcirent; &, ne quid deſit, » proximos principes poſſeſſionibus palam, aut in » obſcuro, exturbare. Ex tot provinciarum, tot regno-

regnorum acceſſione, nondum ſatietatem, ſed »
majorum irritamentum eſſe. quibus tantum de- »
ſit, quantum haberent. Aliorum fines invaſiſſe, »
nullis ſibi conſtitutis. Hanc ſcilicet, æqui eſſe & »
religionis curam. Cur Rex, arbiter gentium, & »
publicæ ſecuritatis vindex, cur ſuis & majorum »
meritis in Chriſtianiſſimi nomen aſſcitus, cur ſuf- »
fragio gentium Iuſti titulo, ut ſuo, celebratus, »
contra non auderet? Ad eum Italiæ Germaniæ- »
que principum ſupplices manus porrectas, ut vi »
armorum dejecti ſibi ac ſuis redderentur. Eadem »
Trevirorum præſuli debuiſſe. quem non venera- »
tio Pontificiæ dignitatis, non ad Cæſarum inau- »
gurationem dextera imbuta, non denique fas o- »
mne divinum & humanum protexerint, quo mi- »
nus ab aris ſuis avulſus & focis, in vincula trahe- »
retur. Non unius aut alterius Principis, ſed o- »
mnium partes agi. quorum quoſdam ſenſiſſe ma- »
la, alios, niſi caveant, exſpectare. Excitata ali- »
bi incendia ruinam Galliæ moliri. Quare non ex- »
tingueret? Nihil enim ſummis imperiis negligen- »
dum. Aliaque a diverſis contendebantur, licito »
jam, aut petulantia ſæculi recepto more, ſub pri-
vatorum examen conſilia principum vocare, &
judicia vulgi proferre aut experiri. quod an pro-
hibere tutius, merito dubitaveris; animis aliquan-
do per ea ad ſuorum ſtudia accenſis, ſubinde con-
tra irritatis. Sed a vero ſæpe autores deficiuntur,
& ſunt ſua publicis rebus arcana; quæ nonnun-
quam ſpecie in vulgus, ſæpe omnino teguntur.
quorum rationes exquirere anceps, &, ſi tua uta-
ris, incertum. Namque ut ingentium fluviorum
vim quaqua intelligunt gentes quæ alluuntur;

fontes eorum, proximi accolæ tantum ſpeculantur; ita eventa omnibus fere cognita, conſilia, quæ anteceſſerint, cæteris tecta, arbitris modo rerum, & his proximis aperiuntur. Cæterum, ut quæ omnium ſunt, rarò ſingulis probantur, non eadem populi inter Gallos Fœderatoſque judicia erant. Igitur bellum & ſtipendia, & propter hæc tributa ſolitis majora, quidam metuere, aut averſari. Galli inprimis, hactenus non ita vexati. Nec a conviciis in autores temperatum; niſi quod a præſenti potentia inſtructis, nullo rerum diſpendio, verba impune cæteris permittantur. Quorum inter ſuos primus Iohannes Amandus, Dux Richelij, & purpurati ordinis, erat. qui excelſi vir animi, & ad curam imperii indole ac rerum maximarum uſu factus, Gallorum fata, ſummo cum Regis & procerum applauſu, quorundam odio ac invidia, moderabatur; ad magna evectis raro tam felicibus, ut effugiant vetus ac recens generis humani malum, ignorantiam recti & obtrectationem. Sed ſua cuique conſcientia inter ardua pro ſolatio eſt; & huic inſuper a Rege accepta, & illi proxima autoritas, ſuis potius conſiliis fulta quam alienis, & inferioribus eorum ingeniis, quibuscum comittebatur, aut alibi occupatis, vim imperij intenderat. Iamque bellum ex neceſſitate & gloria gentis laudatum. quod niſi ſerio gererent, haud profuturum, & tantum, viribus undique effuſis, ſuſtentandæ vel augendæ fortunæ erat. Nec aliis conſilia Fœderatorum, & majores, quam hactenus, conatus, tum innixa, magnitudine ſumptuum nequicquam objecta. qui initio graves tanti haud ſunt, magnis effectis; nil proficientibus, qui

ſemper

ſemper modicis uſi, ejuſdem ſemper fortunæ aut impares deprehenduntur. Igitur initio anni ſexcenteſimi trigeſimi & quinti, ſupra milleſimum, ad arma undique conclamatum. Ferdinandus, Caſtelli Philippæi in Flandria obſidione tentata, mox deſtitit, nunquam clauſo portu, quo nova militum ſubſidia, aliaque, indies ſubmittebantur. Tum Zelandorum maxime virtus illuxerat; gentis invictæ, & pro libertate nihil detrectantis; ſociorum navalium opera inprimis æſtimata, a quîs inter fluctus & tempeſtates eductis eo facilius pericula terrâ ſuperantur, quo a ſumma mari expertis, cætera velut nulla aut vana contemnuntur. Inter hæc Chatilionæo, Gallorum Duci, copiæ viginti admodum & quinque millium permiſſæ; quibus in Belgio cum Fœderatorum milite conjunctis, pacta utrimque & deſtinata exſequeretur. Tum, qui aditum in agri Leodienſis confiniis intercluderet, propere a Ferdinando ſubmiſſus Sabaudorum Princeps Thomas, ſeptem peditum, tribus equitum millibus inſtructus. Unde mox acer ad Huyum conflictus; & pro Gallis fortuna fuit. Cæſa Hiſpanorum millia quatuor, octingenti in deditionem accepti, tormenta decem & ſex, ſigna ac vexilla quinquaginta ſeptem, magna vis æris, capta victoriam auxere; nunquam magis turbatis hoſtium rebus, qui imminentibus jam Gallis Fœderatiſque ex præſenti clade futuram haud dubie colligebant. Namque ſtatim injecto Moſæ ponte, ad ejus Trajectum uſque penetratum; Auriaco ingenti cum exercitu eodem contendente; feſtinatis itineribus, ne inter mala tempus pro remedio hoſtibus eſſet. Unde comiſſo

pariter utroque exercitu recta in Brabantiam itum. Nec alias iniquiora genti tempora illuxere, quæ tum, velut spe deposita, hostem simul ac fugam cogitabat. Oppida fere, ab artis & naturæ præsidiis destituta, petentibus aperiebantur. Inter quæ Landa, Dalemum, Diesta atque Archotum, Auriaco deditione occupata. A quo sparsæ passim litteræ
» & vulgatæ; Non Fœderatorum modo, sed Bel-
» garum omnium libertatis caussam a se agi; cujus
» vindicem haud metueret, quisquis eam vellet. Nec
» cuiquam noxæ futurum hoc bellum, qui, odiis
» postpositis, caussam ejus probaret. Quibus tamen haud multum effectum; dum plerique præsentia & servitutem, quam futura & libertatem mallent. Ad quæ vix promittenti fides. quam qui sibi tantum habent, sæpe aliorum suo cum damno postponunt. Hinc Thenæ (Tirlemontium quidam vocant) admotis signis petitæ. Urbs vasta spatio, adversus vim nulla. Cui Franciscus Varga, Hispanus, suprema ejus cura satis functus, dum pro fide contumaciam induit, exitio fuit. Quippe non acceptis quæ pro civium militumque incolumitate iterum iterumque ab Auriaco oblata, & Gallorum aliquot cæsis, urbs expugnata; & quodvis flagitii ac crudelitatis genus designatum. quasi victoriæ jure, quod inter arma illi maxime prætendunt, qui abutuntur. Nec primos furentium impetus cohibere facile erat; quanquam Auriacus authoritatis summæ, & vetaret. Nam ubi ferrum in manu, & contra adversi sunt, hostem potius milites quam ducem sequuntur; & post hostilia semel jussa ac illata, quævis permitti victores arbitrantur. integra, quanquam a nonnullis vexata,

vexata, ducis fama; qui imminentia edoctos & reluctantes servare haud potuerit. Dein Lovanio, urbi Academia nobili, castra admota; quam Antonius Schetsius, Baro Grobbendonckius, Sylvæ Ducis a suis olim præfectus, & sub eo trium millium expedita manus tum tutabatur. Quo tractus Auriacus, deficiente annona, aut nimium accensa, Picolominæo quoque, Cæsaris Legato, in Hispanorum suppetias Brabantiam invecto, ab incœpto destitit, Ruræmondam ac Mosæ illic proxima reversus. Inter quæ Castellum, Schenckianum nomine, in extimis Bataviæ finibus situm, diviso, hinc in sui nominis alveum, inde in Vahalin, Rheno circumfusum, haud minus opere validum, ab Hispanis, furto noctis usis, per insidias captum. Cui obsidendo expugnandoque reliqua hujus anni, & prima proximi (qui trigesimus & sextus) a Fœderatis insumpta. Cætera legationibus ac consiliis, quîs nova struebantur. quorum seriem nobis professis, quæ Belgarum Gallorumque, & Austriacorum, unde in cæteros momentum, res tum fuerint, ante alia persequi operæ erit. Non enim alias exercitatior bellis Europa, & caussa omnium ac exemplum Germania erat. quæ per tot jam annorum intervalla, tot concussa motibus, exhausta & deserta, velut recentibus adhuc odiis, inter potentiam Cæsaris, perfidiam dominantium aut pertinaciam, & externa auxilia luctabatur. Excussi principes, & plebs attrita ferro ac inedia (nam in cadavera alibi fame ruebatur) domesticæ calamitatis spectaculum, inter miserantes metuentesque, odia quorundam & ludibria passim circumgestabat. Caussæ inju-

injuriarum novæ indies ex aliis tractæ; & ad pacem, impeditis ambitione partium rebus, non nisi ad nomen ac vota profectum. Nisi quod Pontifici Romano id tum curæ videretur. Is Mapphæus Barbarinus, Urbani, nominis octavi, cognomento erat; qui naturæ & illustrium studiorum cultu par rebus, in ipso adolescentiæ flore, jussu Sixti quinti primas sacræ curiæ dignitates indeptus, mox a Clemente octavo, Fano Fortunæ, maritimo Umbriæ oppido, dein Beneventanorum finibus regundis cum Alexandro Ludovisio Cardinali (qui Pontifex postea Gregorius quintus & decimus) destinatus est. Variis exinde legationibus exercitus, accepto supremo fastigio, lenitatis ac modestiæ fama, etiam adversa a parte, rara inter exempla, celebrabatur. Unde, ut fit inter suspicaces, invisus suis, & vario rumore, velut in Gallum pronior, ab Austriacis aversus, deferebatur. Namque missus in Galliam Legatus, Henrici Magni sobolem, Ludovicum XIII, brachiis sublatum, Pontificis Clementis nomine e sacro Baptismatis fonte susceperat. Et Regis quoque studia in eo evehendo illuxerant, inde Messino, hinc Borrhomæo, pro quîs Hispani contenderant, postpositis. Unde odia & simultates, eo acriora, quia tegebantur. Et porrectis Neversæ Duci, tunc Mantuano, subsidiis, Gallos ad obterendam Hispanorum in Italia potentiam impellere non dubitaverat. Mox, crescentibus malis ac metu, arbitrum se componendis Europæ motibus offerre constituit; misso Martio S. Angeli, Diacono Cardinali Ginettio, ad Cæsarem, & utrumque Regem, Legato; qui Coloniæ Vbiorum, seu Agrippinæ, dicto
con-

conventui loco, longo jam tempore morabatur; ſpe illuſus, gliſcentibus magis eorum ſtudiis, quibus conciliandis advenerat. Pars titulos & dignitatum nomina abnuere aliis, aut majora ipſi flagitare. Rebellium vocabulum impactum aliis, cum libertatis contumelia, inter diſſentientium certamina, audiebatur. Namq; eorum ratio erat in litteris, quibus, publica principum autoritate, infeſta inter itinera, ſecuritati legatorum proſpiceretur. Igitur intercepta pacis conſilia propter ea quorum cauſsâ capiebantur; & maximus quiſque ſibi viſus, qui miſerrimus erat. Sed quæ nihili in vulgus, magna inter principes, quibus ad famæ decus omnia diriguntur. etiam dejectis, qui cum fortunam aliis inviti, magnitudinem tamen animi & æſtimationem ſui non concedunt. Nam primum pariter ac poſtremum in magna fortuna eſt, agnoſci; præſertim hac tempeſtate, qua alienæ etiam dominationis vocabula uſurpamus. Alii cauſſæ arbitrium deferre Pontifici detrectabant, primâ religionis curâ; quæ ſerio aut prætextui ſumpta à diverſis urgebatur. Nam conſcientia ſacrorum valida in plebem, & ideo ſæpe principes utuntur. Cujus acriora ſtudia, quo majus eſt quod præfertur. Et religionis libertati, inter diſſidentium inſidias, etiam infimorum judicio, nunquam ſatis cavetur. quod dominantibus, quibus ſæpe bella magis quam ſacra probantur, tuendæ palam pertinaciæ, inter arcana eſt & æſtimatum. Pars quæ in procinctu & armata, ſucceſſu rerum turgida, pacis conſilia abnuebat. Quanquam fortuna tantum ſuperiores, viribus pariter ac victi exhaurirentur. Niſi quod læta, contemptu hoſtium, aut nimia

fiducia, ad majora ſpem accendant. Alii callida Auſtriacorum conſilia, & pacem a bello attritis, augendæ iterum potentiæ, turbandiſque Fœderatorum conatibus, e majorum exemplis colligebant. Unde inſiſtendum cœptis, non alias magis dubiis hoſtium rebus, adverſum eos tot conjurantibus, callidis rerum ac temporum videbatur. Diverſa inter hæc plebis vota; quæ, Nimis diu commiſſum terrarum orbem; ſatis ambitioni principum ac odio datum; vix ad gloriam, plurimum ad cladem profectum; excidia florentiſſimarum gentium; verſas civitates, extrema malorum tolerata; tot bellis, tot injuriis imponendum magnum diem; e calamitatis ſuæ ſenſu paſſim loquebatur. Quidam motis domi armis aut toleratis, ſuum inter militem & externum exhauſti; alii delectu, omnes tributis, quæ ut egenis fruſtra imponuntur, ita ab opulentioribus, inſolita, majorum metu, ægre ac cum odio tolerantur. Quæ nequidquam a Pontificis Legato palam libellis objecta. Inter iſta magnæ Britanniæ Rex Carolus Palatini Principis cauſſam apud Cæſarem urgere iterum intenderat, exiſtimantibus aliis; Satis legationibus & conſiliorum modeſtia peccatum. Armis & ferro opus. Hoc ſolo pertinaciam diſſerentium, poſt tot ludibria & tergiverſationes, infringi. Nec prona magis tempora fuiſſe, effuſis in Germaniam Suecorum Gallorumque armis; & cauſſam belli, inter alias, ejectos principes offerri. Diverſa tamen Regi probata, gnaro; Æquiorem bello cauſſam, quo plura ante bellum & moderatiora tentaret. Inter arma adverſorum animos, creſcentibus odiis, non mitigari, ſed accendi. Pa-

trem

trem Caroli Fredericum pridem excessisse. In „ eo caussæ cardinem hactenus versatum. Nihil jam „ flagitii posse intendi, seu merito id, seu falso ob- „ jectum. Superesse liberos, sed innocentes, cœptis „ vix vitæ annis non tam caussam patris, quam exi- „ lium sequutos. Et idcirco sublato eo meliora nunc „ exspectari. Missus igitur æstate anni CIↃ IↃ C XXXVI ad Ferdinandum Cæsarem Thomas Houwardus, Arundeliæ & Suriæ Comes, usu rerum ac eloquentiæ promptus. Magnifica ea legatio & profutura omnibus videbatur. Sed vix Germaniam ingresso adversa omnia, inter hærentes negantesque, oblata. Namque primo Cæsaris nomine mandata exposita, quibus Britanniæ Regis fœdus societatemque, & subsidia adversum Suecos Gallosque, & Austriacis adversos, hostes eosdem & amicos, pace aut bello, flagitabat. Quod iniquum; & contra aliorum caussæ æquitatem ac successus, vicinorumque fœdera, non licebat. Unde Legatus; Aliena hæc & Regis animo adversa of- » ferri, excepit. Esse eum Cæsaris amicum, hosti- » bus Cæsaris nec auxilia ferentem, nec adversum. » Inita cum aliis fœdera religiose, dum licet, ob- » servari. Pacem ante bellum, & pro securitate esse. » Palatinum Imperio ac dignitati avitæ redderet » Cæsar. quod ut urgeret, se huc ablegatum, & » moras aversari. Mitterent speciosa verba. Nam, » quod justum se poscere, ne quis benificium inter- » pretetur. Tum capta cognitio caussæ pariter, & » subversa. Namque inferioris Palatinatus ditionem ab Hispano partim & Bavaro insideri; ingentes eorum in bellum impensas; quis satisfaciendum, si redderetur. Electoris dignitatem jussu

Cæſaris Bavaro delatam; nec de ea reddenda agere integrum, donec ejus familiæ (Guilhelmianam vocant) principes ſupereſſent. Et de ſuperiori Palatinatu eadem ac iniqua diſſerebantur. ſpe tamen ſuſpenſa, quo inter magnifica & dubia pollicitationum Britanniæ Rex tractus, aſperiora, difficillimo jam tempore, Auſtriacis paſſim bello impeditis, haud tentaret. Tum, reverſo Legatò, ſpe omnium eluſa, variis animorum motibus inter proceres certatum. Ferociores arma poſcere aut offerre. Inter minas arcana rerum objecta. & pa-
» lam legebatur; Quod in Flandria & alibi inter
» Belgas imperii adhuc Hiſpani potirentur; quod ſi-
» nus, littora, portus Britanniæ, claſſibus frequen-
» tarent; quod diſſita regna commerciis jungerent
» ac miſcerent; quod pecuniam alendis copiis, col-
» lybo acciperent aut mutarent; tironem denique
» & exercitus ſupplementa, unius Caroli Regis be-
» nificium eſſe. qui ſi, junctis ſuis cum Gallorum ac
» Batavorum armis, impetu in Flandriam facto,
» fœderi ſe inligaret, quid reliquum, niſi ut Hi-
» ſpani, Belgio & mari omni excuſſi, evoluti, ultra
» Pyrenæos montes, in ſolitudines ſuas reverteren-
» tur? Nec minor inter eos belli metus, qui juſtam ejus cauſſam non ignorabant. Quâ Palatinus Ca-
» rolus impulſus, editis litteris; Suam & afflictæ do-
» mus innocentiam, tot majorum ſuorum merita
» ac manes, tractum nimis diu exilium aut tolera-
» tum, denique fas omne divinum ac humanum,
» & bellum & ex æquitate cauſſæ ejus eventum, inter prona omnium vota adverſum Cæſarem, teſtabatur, in faſtigium ejus pariter invectus. Quippe inter iſta evenerat, ut Ferdinando II Cæſare

de-

defuncto in filium nominis tertium, exclusis Palatini & Treviri Electorum suffragiis, caput imperii devolveretur. Infesta tum quoque Suecorum signa Germaniam omnem adhuc terrebant, pari, ut veteres Gothi, virtute & metu. Nisi quod post excessum Gustavi Regis, quem superstitem nec animus unquam deseruerat nec fortuna, inter socios discordes aut infidos, quibus tamen juvandis venerant, adversam aliquando fortunam experirentur; comisso ad Nordlingam prœlio, pene omnibus exuti. Disjectæ tum copiæ aut deletæ, capto insuper Gustavo Hornio, militiæ experto duce. qui, velut eventi gnarus, dissuasisse prœlium credebatur. Non tamen ideo genti minor animus; &, novis copiis in Pomeraniam primo, mox ulteriora raptim effusis, provocata iterum fortuna & accepta. Ioanni Bannierio cura belli jam erat. quem tantis rebus providentia fati olim servaverat. Namque puer admodum ex edito ædium prolapsus, forte lacinia togæ a villico exceptus, integro corpore, inusitato exemplo, utebatur. Mox inter bella regis sui eductus, exemplo ejus ad usum profecit, pari adversum hostem vi ac æstu. Nam utroque excelluit terruitque; ad consiliorum magnitudinem felicitate adjecta, a qua sæpe optimi deseruntur. Ad Witstochiam vero victoriam fine anni retulerat, immensa hostium strage, ducum plurimis in deditionem acceptis. Cæteros eventu territos, aucto ex eo metu, festinatis itineribus insequebatur. Mox Torga capta, urbs Misniæ nobilissima, ad Albim, sequentis auspicium fuit. Nec munia belli intermissa, quanquam, agente Sigismundo,

 Brande-

Brandeburgensium Marchione, pacis consilia Cæsar tum aperiret. Horum cura penes Stenonem Bielkium, Suecorum in Pomerania Legatum, erat. De titulis, loco, ac conventus apparatu statim dissensus, summa rei intacta. Unde acrius bellum, & fluentibus ex voto Suecorum rebus, Albi ac Visurgi tramissis, proximæ ditiones, divisis Cæsareis, aut congredi non ausis, aliquando interceptis, ferro aut flammis vastatæ. Quæ læta Fœderatis in Belgio accidere. Nam, tot cladibus afflictus & undique circumventus Cæsar, juvandis Hispanis non erat. Quo vis illis & occasio major; animus his & spes fracta. Nam miles Cæsaris, palam nobis haud adversi, elapsis annis haud raro in Belgium missus, speciem amicitiæ inter nostros, vim ac consilia inter hostes habebat. & partes eorum amplexus vexilla & sacramentum mutabat. Unde majus periculum ex illis, qui nec amici nec hostes, & de quorum fide dubitatur. Per idem tempus etiam Gallorum signa quaquaversum in Austriacos ferebantur. Nil proficientibus, a quîs partim tantum hostes fatigantur, Burgundia maxime fortuna ancipiti concussa. pars eorum, Ducatus nomine, Gallorum imperium; pars, Comitatus titulo (Sequani veterum creduntur) Hispanos sequebantur; pactis tamen nuper ac olim ratis, quanquam abrupta principum pace, belli injuriis exceptæ. Sed missa, juvando Carolo, Lotharingiæ Duci, subsidia, aliaque hostilia, vim Gallorum in Sequanos irritaverant. Caput eorum Dolam, urbem opere & civium pertinacia validissimam, Condæus Princeps, ingentibus copiis

menses

menſes aliquot obſeſſam, vi hoſtium, octo equitum, totidem peditum millium, undique ad liberandam evocatâ, ſpe depoſitâ, nuper deſeruerat. Unde conſiliis illorum auctis, a Lamboyo, Cæſaris Legato, ac Forcaſio, Croatarum Duce, oræ Galliæ concuſſæ. Poſita tum publice monumenta, quæ felicitati temporum inſcripta, memoriæ rerum, nec præter exempla annalium, ſubjeci:
Deo Diviſque urbs Dola, Sequanicæ Burgundiæ »
caput; quod ipſorum incomparabili benificio »
poſt octoginta dierum arctiſſimam & urgentiſſi- »
mam, a regiis Gallorum & Fœderatorum prote- »
ſtantium exercitibus obſidionem; poſt mœnia & »
ædificia tam ſacra quam profana, ſupra decies mil- »
le ingentium tormentorum muralium pilis, & in »
ſublime vibratis ollis ferreis plus quam quingen- »
tis, inauditi ponderis, ipſo caſu, & fragmento- »
rum cum flammis eructatione, ædium intima pla- »
teaſque ſtrage & horrore complentibus, atque ef- »
foſſis etiam cuniculis, ac Ætnæis fornacibus ſe- »
ptem, ignes & ardentia ſaxa ferali telluris eru- »
ptione evomentibus, per ſummam rabiem impe- »
tita ac ruinis deformata; cæteris omnibus extra »
urbem circumquaque ferro vel incendio vaſtatis; »
invictis ſemper immotiſque civium animis, illu- »
ſtriſſimi præſulis Ferdinandi de Rye, Archiepiſco- »
pi Biſuntini, & æquiſſimi prudentiſſimique Sena- »
tus, ſimul Provinciam moderantium, ac nobilis »
Lodovici de la Verne, militiæ præfecti vigilan- »
tiſſimi, exemplo, conſilio, manu roboratis; pie- »
tate, juſtitia, & armis invicta duraverit, & fauſta tan- »
dem triumphantis Aſſumptionis B. Mariæ luce, »
accurrentis in ſuppetias Caroli, Lotharingiæ Ducis, »
fortiſ-

» fortissimi, cum Imperialibus suis & Burgundicis
» copiis adventu, hostilibus faucibus erepta, sub
» avita fortissimaque Philippi IV. Hispaniarum In-
» diarumque Monarchæ invictissimi dominatione,
» ac Ferdinandi, Hispaniarum Infantis, Belgii ac
» Burgundiæ Proregis, auspicatissima procuratione,
» victrici & impenetrabili fide spectanda perman-
» serit; hoc æternæ gratitudinis monumentum pa-
» tronis ac liberatoribus suis L. M. D. D. D. Mox tamen eventu Galli valuere, Corbeiâ captâ. quam ad Somonam fluvium sitam, inde paludibus, hinc arte operum inaccessam, muris haud dum concussis, annona in vitam militiamque idonea, corruptis præfecto & custodium aliquot, Hispani paullo ante in deditionem acceperant. Unde major Regi & Richelio Cardinali cura, quo gravius damnum vicino ab hoste & excursionibus prompto metuebatur. Intra dies decem & quinque, exercitus quadraginta millium peditum, duodecim equitum, machinæ majores quadraginta, & quæcunque necessaria, ad manum. Iuvit tum celeritatem, Parisinorum civium fides, qui bona, militem, quidvis, inusitato exemplo, confestim obtulere. Castra quoque sequuto Rege, visu ejus, quæ veneratio gentis est, & Richelij, qui tum aderat, exemplo, omnes erecti. Octobri mense, quanquam pluviis ac frigore intempesto, ad Corbeiam castra figebantur; mox comperto, quantum celeritate profectum. Nam commeatu in urbem intercepto, quorumvis inopia obsessi laborabant. Et Iohannis VVeertii, Cæsaris Legati, in ferendis suppetiis irritus labor erat. Quanquam quatuor millium equitum, & duorum, quos Dragonde-

gonderos vocant, expedita manu uteretur. Pedites illi sunt fistulis armati, quos levis armaturæ equites tergis armentorum vehunt in celeritatem expeditionum. Cum ad hostem ventum est, descendunt. Nec tamen in urbem penetratum, mole operum ubique invicta. Valli, quo circuitus castrorum jungebatur, fossa lata pedes decem & octo, alta novem; aggeribus in latitudinem viginti, in altitudinem decem pedum exporrectis. Ad hæc castella plurima exstabant. Inter quæ Aurelianense magnitudine & robore excelluit. Fossa ejus, latitudine pedes viginti & quatuor, in altitudinem novem complexa. Agger & ejus lorica ad pedes duodecim evecta. Adeo ut altitudo fossæ & aggeris pariter pedum viginti & unius; latitudo aggeris viginti quatuor; loricæ vero quatuordecim fuerit. Coronatum circumcirca opus sudibus; quæ pedes octo longæ, quatuor extra terram eminebant; totidem infixæ, acuta, ut mos est, cuspide; & semipede inter se distabant, adversus vim & incursum validæ. Quæ Antonio Villæo, equiti Gallo, & operum militiæ architecto, structa pariter & memorata. Mox nuncio intercepto afflictæ urbis res cognoscebantur. Datus ipsi libellus, quotidianas preces complexus, (Horarium sui vocant) quem Thomæ, Sabaudorum Principi traderet, versus punctis signatos inspecturo. In quîs erant, quibus extrema, & impares se obsessi fatebantur. Vnde victoriæ fiducia, mox ipsa, Novembris initio dedita Gallis urbe. Post quæ in Atrebates itum, & populationibus aperta agrorum vastata. Provocatus ad prœlium Gallasius, primus Legatorum Cæsaris; & victus. Octo castrensium millia cæsa,

duo capta, tormentis omnibus impedimentiſque deſertis, cladem aut famam auxere. Nam læta fere in majus jactantur. Reliqua hyemis inclementia ſtitit, ſequentis anni auſpiciis ſervata. Cujus initio Gallorum, ac, inter Belgas, Fœderatorum, animus idem & curæ novæ. Nec minora Ferdinando Cardinali, ſed clam, in Leodios maxime, tum tentata. qui in ſeptentrionem & occaſum Brabantiæ, ab ortu, Moſæ aut Limburgenſibus, auſtrum verſus Luxemburgo objecti, partem Belgarum conſtituunt aut contingunt. Gens bello acris, & pro libertate inſtituti tenax; Eburones veterum, Ambiorigis, & Cativulci Ducum bellis, Sabino & Cotta olim cæſis, nobiles creduntur. hac tempeſtate, inter civiles Belgarum motus, nullius fere partes ſequuti, ad arma tamen adverſum inſidias ſemper prompti. Sed vicino Hiſpanorum imperio, ob ſubdolas artes, quas haud raro cognoverant, inviſo, in Fœderatos fere proniores habentur, quod obſeſſo Trajecto ad Moſam, captoque. nuper cognitum; loco opportuno, unde in vicina excurſiones & metus. Igitur adverſæ ſibi factionis capita è medio tollere, & ſic turbatis Leodienſium rebus, eos in partes ſuas trahere, aut opprimere, Hiſpanis curæ erat. Nec tam alterius autoritas inter ſuos & ſtudia, quam unius Ruellii, inviſa. qui ad Conſulatum nunc evectus, integritate, fide, ac pari pro repub: cura, conatibus hoſtium detectis ſæpe & fractis, velut communis parens, gratia omnium & fama utebatur. Eapropter in vitam ejus clam conjuratum; a Renato Reneſſio, Warfuſæo Comite, miniſterio ſceleris oblato. Is quæſturæ Regiæ in Belgio præpoſitus

positus, æs militare intervertisse, facto privatim compendio,& velut caussa paupertatis publicæ deferebatur. Inopia castrensium auxerat odium in vulgus, cujus auctores vere aut falso a miseris facile finguntur. Quod ei cognitum, &, declinandæ pœnæ, alibi sibi tutior quam domi videbatur. Quare aula relicta Leodii sedem fixit. Nec ideo minus, suspensa è patibulo vultus imagine, ut mos majorum, & fisco bonis aucto, in absentem animadversum. Ipse interim scripto edito querebatur; Nequidquam publicas angustias sibi imputa-„ ri, cui ingens pecuniæ vis, privato nomine Regi „ collecta ac fœnori obnoxia,deberetur. Quod enim, „ tributis alibi stipendiis, militi satisfactum; quod „ Breda capta, inter tot opera & impensas, exhausto „ licet sacro ærario, cura sua ac fide effectum. Id „ Spinolam olim palam testatum. Nunc contra ur-„ geri; & receptum dominantibus, benificia priva-„ torum, quîs reddendis pares non sunt, abnuere „ aut adversa interpretari. Cæterum fuga se sibi isse „ consultum, non crimini læsæ Reipublicæ inliga-„ tum, sed in securitatem. Quippe innocentiam in-„ ter iniquos & corruptos haud unquam tutam esse. „ Quæ magnifica verbis, nec ideo fidem inter gnaros invenerant. Conclamatis tandem rebus, spem veniæ scelere mercatus est; promissa Ruellii cæde. qui incautior,quo majorem addicti speciem VVarfusæus ostentabat; ut, tegendis consiliis, maxima palam offerunt, qui pessima meditantur. Literis impulisse hominis vecordiam, Cæsar, Hispani, & Ferdinandus, Elector Coloniensis, postmodum deprehensi. Ruellius igitur & Abbas Mouzonius, & Baro Saisanius, aliique vocati ad VVarfusæi

 epulas,

epulas, insidiarum ignari, accesserant. Libatis, qui nunc mos est, Galliarum Regis saluti poculis, florentibus vino animis, prandium inter sermonum blanditias trahebatur. Post quæ manu armata, quæ in suburbio hactenus latuerat, ædibus obsessis aut occupatis, primo ludicrum spectaculum inter securos, mox vis & doli intelligebantur. Namque VVarfusæus, detectis consiliis, destinata loque„batur; Gallos se & Austriacis infestos detestari. „Animo in Cæsarem & Hispaniarum Regem sem„per incorrupto usum. callide dissimulatis hactenus, „quæ nunc ex usu proderentur. Ultimum hunc „diem esse illis qui eorum commodis fuerint adver„sati. Cernerent ferrum ac milites, quidquid jus„serit, acturos. Esse quidem nunc sibi in Gallia fi„lium, cui facinus id non dubie exitio futurum. „Sed nec id se referre, aut ignominiosum, modo „obsequium principi probaret. Liberos gignere „& amare, cujusvis privati; pro Repub. devovere, „publici patris ac suum esse. Tum, inter obtestationes & ejulatus, injectæ manus, & Mouzonio Saisanioque custodiæ traditis, Ruellio, in interiora ædium tracto, novissima indicebantur. Qui supplex primo ad genua furentis subinde provolutus, aliquando prehendere dexteram, poscere, obtestari; „Per patriam & sacra, per communes Divos Divas„que, per hospitales mensas parceret innocenti. „Vixisse se adversus eum cum fide. Nam quid„quid in Rempubl. collatum, nemini detractum. „Quo ferrum & arma? Si quis suis in eum meri„tis, si fidei locus, audiret supplicem. Veniam se „poscere, si ea integro sit opus. Se fiducia conscien„tiæ incautum & innocentem, inter amicitiæ pig-

nora

nora & congreſſus, procul amicis aut amotis, à „ devincto ſibi & obligato ad exitium rapi, non-„ dum ſatis credere, & tamen ſpectare. Inter quæ „ parricidæ nomen, velut quoddam neceſſitudinis vocabulum, ſæpius uſurpatum. quo obfirmato, & ſtricto jam ferro; Quid Reipubl. futurum,„ quid conjugi & liberis? vocibus inter lamenta „ abruptis, identidem quærebat. Tandem ſubrecto in contumacem vultu, ferales epulas & inauditi ſceleris exemplum, ira hominum Deumque exſecratus; Unum ſe tolli, ſed plures ultionem au-„ ſuros, exclamavit. Poſt quæ non minori jam ani-„ mo quam metu, ſpe omni tranſcripta neceſſitati, & pacem Dei veneratus, confoſſo vulneribus corpore, obtruncatur. Haud alias magis cognitum, ſummis flagitiis magnitudinem ultionis æquari. Nam, velut ad eam feſtinantibus fatis, conſciis ſceleris non ſatis cuſtoditis, aut intempeſtive dimiſſis, cædes Ruellii in vulgus ſparſa eſt. quod atrocitate facinoris & ſanctiſſimi viri memoria accenſum, correptis armis in parricidæ exitium, diras inter & exſecrationes, ferebatur. Warfuſæus undique obſeſſus, & in diverſa ancipiti animo tractus, ſceleris, vecordiam inter aut metum, nunquam oblitus, componendis motibus; Cecidiſſe " quidem Ruellium, patrem patriæ creditum, ſed " adverſum. Nunquam gratiorem victimam liber-" tati gentis oblatam. Nam pretio corruptum, Rem-" publicam Gallo vendidiſſe, niſi præventus eſſet, " traditurum: ſed haud credita ipſe aut per alios " loquebatur, nequidquam foribus occluſis & obfirmatis, quas vi furentes moliebantur. Mox iræ omnium & ferro objectus, a ſuis & animo deſer-

tus,infamem ſpiritum emiſit. & unius cæde omnes lætabantur. Nec poſt mortem deſtitere, cadavere in forum tracto, velut ſuperſtitis, & novum ad ſupplicium. Inter quæ, ut cæſis olim tyrannis, au-
» dita vox publica; Hoſtis patriæ, carnifex Senatus,
» unco trahatur. Qui pretia vitæ exegit, & fidem
» non ſervavit, qui in uno omnes, qui ætatem om-
» nem occidit, unco trahatur. Sicut fecit, ſic pa-
» tiatur. Vnco trahatur, hoc rogamus. Aliaque quæ juſtus furor ſuggeſſerat ex ſcelere, quod non credent poſteri, aut non ignoſcent. Poſt quæ cadaver è patibulo pedibus ſuſpenſum, brachiis & capite præciſis. Cujus ſpectaculo biduum datum, dein traditum flammis, & in Moſam ac ventos cineres ſpargebantur. De honoribus Ruellii memoriæ decernendis omnium ingeniis & pietate certa-
» tum eſt, inter queſtus & vota; Ereptum ſibi pa-
» triæ parentem ac cuſtodem; fraude & inſidiis ho-
» ſtium circumventum. quîs crimen viſum, bene
» Rempub. habuiſſe, ſtitiſſe adverſos, vis induſtriæ,
» incorrupta fides, & pro ſalute ſuorum, pro aris &
» focis, ſpectata animi magnitudo. At, Hercule,
» tam ſanctam ſibi & æternam ejus memoriam,
» quam libertatis. Denique ſi quos innocentiſſimi
» viri ſanguis, ſi ſpes & diſcrimina patriæ ac ſua, ſi
» inſidiæ hoſtium immortales tangerent, moverent,
» eam pariter cum ultione ſuſtentarent. Hiſpanorum artes interpretando auctæ, & palam tum cognitæ,omnium ſermonibus vexabantur. quæ mihi ex vero, nec præter ſeriem anni, cujus res perſequimur, memorata ſunt. Et ignoſcent, ad quos hæc cura noſtra pervenerit, quod, cavendis peſſimorum inſidiis, inauditi ſceleris exemplum poſt futuris

futuris transmiserim. Ejusdem anni initio, ad Occidentem Indiæ, qua Brasilia est, Fœderatorum res tum quoque strenue promotæ. quo Hispani maxime adflicti, tentatis ditionibus, ex quis vis ipsi & opes. Namque aurum ibi atque argentum, pretium victoriæ. Privatorum hæc inter Batavos cura, qui publici nominis auspiciis, Societatis titulo, exsequendis rebus in unum coïere; prout spes cuique, aut libitum, impensis oblatis. Fracto enim hoste, aut acceptis spoliis, respub. & singuli juvantur. Captum primo S. Salvatoris oppidum, mox negligentia aut perfidia amissum, initia expeditionis haud parum turbaverat. Mox vires ex hostibus acceptæ, quorum classem, argento fartam, Petrus Heynius, nullo fere suorum sanguine, interceperat. animi vir inconcussi, & inter difficillima tractus ac eluctatus, quanquam maximæ, nullius tamen fortunæ quam suæ. Unde alia dein tentata, & instructa classi in Brasiliam navigatum. Cujus ditio, Pernambucum, commota primo & superata; Olinda urbe celeberrima, & quæ in proximo, vi aut deditione subactis. Pars ea late porrecta, & Albuquerquiorum peculium à Lusitanis habitabatur; cum quîs commercia tum exercita, & saccharum, cujus ea tellus feracissima, aliarumque mercium, quæ per Europam omnem expetitæ, magna vis, in annos singulos evecta. Iamque nova indies respublica coalescebat, impositique experti rerum, quos penes belli aliorumque administratio esset; cunctatione hostium, auctis rebus. qui, ambitione gentis, metum ex nostris, contemptu primo, dein consiliis dilatis, provexerant. Tandem missus in eam provinciam Mauri-

Mauritius, Comes Nassavius, belli Imperator, florentibus annis, & ab animi consiliorumq; magnitudine militiæ inprimis laudatæ. Accesserant modestia & pietas, rara apud castrensium duces, & ideo inter feroces ac barbaros exemplo profutura. Præter quæ decora, tantæ gentis nomen, tot principum ac rerum magnitudine etiam ultimis in terris celebratum, pro terrore in hostem, & autoritate domi, erat. cui parum interesse visum ubi Rempubl. juvaret, in cujus commoda, & gloriam, difficillima, terra aut mari, inter magnos æstimantur. Igitur classi & lecta militum manu assumpta, ferentibus ventis, aut per incerta maris jactatus, adulto Ianuario, Pernambucum venit. Ubi haud fractus navigatione, faustis omnium votis ac gratulationibus exceptus est. Inter quæ, primæ statim in hostem curæ; cum initia rerum pro fama esse, & ideo utenda non ignoraret. Qui itinere fatigati, in præsidiis passim dispositi, integris in expeditionem dilectis. Sita in eâ ditione, cui Portus Calvi inter Lusitanos nomen, Povacaona, castellum opere validissimum; aditu in ulteriora hactenus nostris intercluso. Eo ante omnia festinatum; & via ferro patefacta. Hostium mille & quadringenti, loricis alibi e terra conditis, qua sylvæ, concædibus objectis, proxima itinera insederant. Nec minori præsidio illis montes erant, ex quibus glandes ac tela, prompto impetu, frequentissima jaciebantur. Iussi nostrorum aliquot sylvam invehi, nihil profecerant; quanquam addita Brasiliensium manu, qui militiæ artibus, inter nostra & Hispanorum arma, velut sua, usu aut exemplo imbuuntur. Tum vero alii

alii, ex omnibus dilecti, & manu promptiores, novo impetu, cæsis hostibus, & quæ opposita superatis, prosperiore fortuna utebantur. Qui supererant, relictis montibus, fugam malucre. Eodem impetu ad interiora promotum; Bagniola, Duartio, Albuquerkio & valida Italorum manu, castris metu excussis; dum quoquo declinarent, pars aliqua militis nostri in ore, in latere, & sæpe a tergo erat. Deserta tum quoque castella aliquot,& munitiones. quarum unâ, cuniculis suffossâ, & pulvere pyreo indito, insidiæ tegebantur. Namque funem accenderant, qui lento fomite ignem eo, quo nostri intrarent, tempore inferret. Sed opinione elusi sunt, paullo ante vi mali excussa. . Pro situ loci, montes inter vallesque, castris dispositis, Povacaonæ obsidioni Nassovius summâ alacritate instabat. quam modico suorum damno, vi operum ac tormentorum, paucis admodum diebus interjectis, suorum imperio subjecit. Præerat illi Michael Gibertonius, bello acer; sed inopinato circumfusus, suorum fuga pro necessitate deditionis utebatur. Hæc ubi gesta, Nassovius, exercitu plures in manus disperso, præponit centuriones virtutis expertæ, nec retrahit copias, sed, per expeditos & solitudinum gnaros, mutantem mapalia Bagniolam proturbat; cis S. Francisci fluvium; ab Olinda, quam memoravimus, spatio leucarum quadraginta dissitum, longo itinerum spatio in hosticum provectus. Tum sane compertum, fama Ducis audentes valuisse, & metu tactis nihil satis tutum esse; Povacaonâ ab ignavis desertâ, alias fere invictâ. Gloria expeditionis utilitate publica & damno hostium cele-

brata eſt. Quippe, caſtello capto, ante partis robur, & pomæriis porrectis, culta agrorum, ex iis opes, & in ulteriora idonei aditus, offerebantur. Sacchari læta in eo tractu meſſis eſt, & plures machinæ, quarum ſingulis ſex ſeptemve Arobarum millia (id Luſitanum nomen, & quævis librarum noſtratium eſt viginti & octo) quotannis excoluntur. Quæ nunciata Fœderatis, eadem in Belgio meditantibus, animos haud parum ac ſtudia accendêre. Nec minus Galli jam urgebant. Capta igitur conſilia utriuſque gentis, & conjuncta; quo, rationibus cognitis, promptius invicem juvarentur. Ex quis diverſa placuere, quo, ab unius rei eventu initio depulſi, alterius tentarent. Nam de Flandria vel maximè cogitatum; & maritimo itinere, ventis ac tempeſtatibus; quæ induſtria mortalium, nec addici certo queunt, nec adverſa diſpelluntur. Ob quæ de Brabantia & obſidenda Breda etiam actum. Quæ enim alia, inter hæc conſiliorum arcana, mihi, rerum tantum quæ evenerint fidem profeſſo, ſcrutari aut prodere non viſum, dum Reipublicæ & tempori ſervata adhuc teguntur. Cætera ex fide trademus. Nam de Breda Ordines & Auriacum inter, ac Herculem Charnaſſæum, promptæ facundiæ, Gallorum Legatum, variis ſententiis primo certatum eſt. Hic quippe eam expeditionem non magnificam ſatis, pro fœderis inſtituto, & diſtrahendo hoſti, juvandiſque Gallorum rebus, haud ſuffecturam, »cauſſabatur, hæc, aut talia, loquutus; Aliis forſan »in rebus, Patres, ſententiæ meæ locus haud fue-»rit. Sed ex fœderis placito negotiis veſtris me »nunc intendo, nulla Reipublicæ injuria, aut liber-

tatis.

tatis. Nam nec illam alienam mihi existimo, ex » quo in societatis olim, nunc belli ac victoriæ com- » munionem cum Rege meo coiistis; nec hanc læ- » sam, si fidei meæ satisfaciam. Equidem haud alia » consilia adfero, quam quæ adversa hostibus, &, » sequi, vestra ac nostra interfuerit. Nec necessita- » tem impono, nisi quam nobis ex pacto ipsi indi- » xistis. Nam Bredæ obsidendæ consilia frustra am- » plexi estis, si Regis mei desiderio, si communibus, » ut inter socios, commodis, si denique fortunæ » vestræ vultis prospectum. Majora nunc debentur » ac offeruntur. Quid enim motis pariter armis fu- » turum; si nos Provincias totas, vos urbem; si nos » infesta quaquaversum signa inferre, vos uno in » loco ea, ac fortunam, sistere; nos summam rerum, » vos modica, & quæ accepta, parum hostibus no- » citura, impetere decrevistis? Neque vero abnue- » rim, urbem eam in limite vestro positam; adspici » ex ea vicinas ditiones; agros ac flumina circumpo- » sita infestari; metum inter & discrimina proximas » civitates esse: sed si capta vobis, an idcirco etiam » sociis profuerit? At illa quoque, quanquam tot » Hispanorum impensis ad deditionem olim com- » pulsa, tot, plures per annos, in nullum rei usum » servata, quid magnopere erepta noceret? Lædi » ea, non debellari, nec tam tolli vires eorum pos- » sunt, quam transferri. Efferte tandem omnia, ut » lubet, plus gloriæ ex ea victoria erit, quam suc- » cessus. qui ex modicis haud captandus, si ex majo- » ribus utilior in publicum, eisdem sumptibus, » queat obtineri. Et cur annum unius urbis obsidio » trahatis? cujus, si fors ferat, solvendæ spe initio » deposita, hostes, aliis haud distracti, toto belli im- »

» petu in Gallos ferantur. Et quo hactenus fœde-
» ra, quo tantus militiæ apparatus, inania, si singuli
» pugnantes vicissim non juvemur? Patent vobis
» Brabantia ac Flandria, & aliæ hostium ditiones, in
» quarum viscera ferrum adigatis. Sunt rerum ca-
» pita, quibus concussis ac fractis cætera trahuntur.
» In ea potius ite, dato plane documento, haud per-
» inde esse, partim debilitari hostem, & totum obteri,
» invadi. Id ex majestate rerum vestrarum ac no-
» stra, id exitio tandem hostibus, domi concussis
» aut ejectis, erit; labefactata Provinciarum fide. quæ
» eruptionibus continuis fatigatæ, depressæ, bel-
» lum, cui impares, pace aut domino mutaturæ. Id
» denique ex fœdere erit. ex cujus præscripto ac
» lege, non nostra tantum aut vestra; sed commu-
» nia commoda, urgemus. qui nequidquam con-
» juncti sumus, si consilia partimur, & nisi vim ho-
stium dividamus. Dixerat, & diversa Patres ob-
» testabantur. responsumque; Bredam, inter alia
» expeditionis momenta, haud temere a se cogitari;
» urbem validam inprimis, usu, & factis in obsidio-
» nem impensis, ac famâ, hostibus æstimatam. Qui
» ambitione sæpe plura quam fructu metiuntur. Et
» cur Spinolæ olim tantâ vi æris profusa, tot inter
» discrimina, expugnatam? Ut, scilicet, excursio-
» nes in Brabantiam cohiberet, ut navigationem
» omnem inter vicina Bredæ confiniaque Hollan-
» diæ & Zelandiæ oppida, ac commercia, turbaret.
» quod propinquis locis aliquot captis, velut Provin-
» ciis divisis, haud difficile existimatum. Non igitur
» modica sibi, sociis, aut hostibus, consectari. Quo
» enim & ubi vim Hispanorum magis vel trahi pos-
» se, vel distineri? Si brevi cum expeditione trans-
actum,

actum, quam anxia eorum conſilia? quam animi »
dejecti? Et majora ſibi, victoria uſuris, ex facili »
offerri. Si longa obſidio, tantiſper hic hoſtem ſiſti, »
non facile aliis poſtpoſiturum urbem, in qua re- »
rum pariter & famæ momenta. Nam ſpem, quam- »
vis conclamatam, raro ante eventum exui ab am- »
bitioſis; præſertim ſi accedat pretium & æſtimatio »
loci, de quo certatur. Interea, ſeu Burgundiam »
ſeu Flandriam invaderent, prona omnia Gallis & »
aperta. Nam, profectò, hoſtes, utut initio libe- »
randæ urbis ſpe præciſa, aut tanti non facta, va- »
cuam Brabantiam haud relicturos; metu, ne co- »
piis alio tranſvectis, modica militum manu obſi- »
dione ſuſtentata, in ulteriora Auriacus effunderc- »
tur. Atque ita diſtentis, ſocios juvari. Nec tamen »
Bredam ſibi inter maxima ac prima eſſe, niſi cum »
alia non ſucceſſerint. quæ cum maris ac tempeſta- »
tum injuriis obnoxia, aliiſque, quis, nulla mor- »
talium culpa, gravia tamen ac ſæva damna infe- »
runtur; quid potius, quam ea quoque complecti, »
quæ certis conſiliis ac ratione perficiuntur? And- »
werpiam & rerum capita aggredi, facilius ſuadere »
eſſe quam patrare. Utque iis captis alia haud du- »
bie ſequuntur, ita capi haud poſſe niſi cæteris ante »
ſubactis. Tutius ſibi, ſenſim ad ea ire, quam inter »
abrupta feſtinare. Nec vero hanc ſecordiam eſſe. »
Ardua ſe adortos ſæpe, ſed quibus pares eſſent. »
Id tot rerum ſuarum prodigia loqui. Ea, quibus »
inferiores ſint, poſtponi. Quo enim inflata con- »
ſilia, quorum nulli, præter ludibria, aut modici »
eventus? Ita vero ſe adſueviſſe, inter conſiliorum »
rationes, ante omnia, eventum complecti, & æ- »
rario, non in vana aut oſtentationem, ſed pro »

„ Republ. uti. Quæ magno adſenſu audita. Ad hæc, quæ capta ab Hiſpanis urbe inter eos palam „ſcripto vulgata proferebantur; Geſtæ tunc rei „magnitudinem neque Fœderatos adhuc ſentire, „recente nimis plaga; neque ſe novitate lætitiæ „ſatis potuiſſe æſtimare. Quod unum aut par aut „majus victoria quavis maxima; non de Bredæ, „ſed famæ honoriſque jactura, ad eam fuiſſe decer-„tatum. Unius urbis deditionem, quam tantis Eu-„ropæ motibus, tot Provinciarum convocatis auxi-„liis, tot ærarii exhauſti ſumptibus tuendam fruſtra „Fœderati ſuſceperant, Hiſpano Regi, Iſabellæ, „ac Spinolæ nomen peperiſſe immortale. Quæ, & alia, in majus, ut mos gentis, aucta in Hiſpaniam tum perſcribebantur. Quocirca, ne parto decori abſtraherentur, ſolvendæ ejus obſidioni quidvis auſuros, nequaquam dubitatum. quod pro voto Gallorum & rebus erat. Fœderati inter hæc, quæ ærarii & belli erant, in tempore curavere; ſalubribuſque conſiliis, & clam habitis, felicitati proluſum. De qua datum olim Pontificis Romani reſponſum non omiſerim. Qui Rupella a Gallis expugnata, &, raris lætitiæ incitamentis Romæ editis, quærenti Borgiæ Cardinali, cur Breda ſubacta eadem Hiſpanorum gloriæ non eſſent oblata, „ falsè exceperat; In Rupella non urbem unam, ſed „ totam factionem ſemel ac pariter proſtratam. At „ Bredæ unius jacturam tantum Batavos feciſſe: „ quam vi armorum brevi repetendam ac redden-„dam non neſciret. Hac enim lege, ut mox dedant „ quæ acceperint, in Belgio ab Hiſpanis pugnari. Auriacus, adulto anni vere, quo promptius deſtinata in Flandriam expediret, prolatum aliquamdiu,

diu, & tectum, de Hulsta invadenda consilium, operi impendit. Id Flandriæ oppidum, spatio modicum, sed situ, qua Wasii sunt, æstimatum, lubrico soli, & vi operum, defenditur. Mauritius inopinato adventu, territis custodibus, initio belli acceperat. Ab Austriaco Alberto exin obsessum, & post multas utrimque cædes captum, ab Hispanis habetur. qui, ejus usu, inter adversa primum, mox frequentibus nostrorum insidiis,cognito,quæ necessaria in tutelam & robur,struxere. Nisi quod palam firma, alibi aperta, scrutantium ingenio sæpe deprehendantur. Quibus non semel tunc usus Iacobus Broucsautius Chantrainius, Lilloæ aliisque ad Scaldin tuendis impositus. Et jam opportuna multa, occasio, negligentiâ hostium, obtulerat. quæ Auriaco sæpe indicata, & tandem persuasa; alias haud facili in jubendis quæ dubia, & quorum eventa aliis potius quam sibi ac certis innituntur. dum ex insidiis cœpta, pro ludibrio & monendis hostibus sunt, si non successerint; ubi tamen contra, sumptu ac tempore modico facta præ aliis æstimantur. Ideo solitum ipsi, in singula inquirere, & in descriptionibus locorum ac operum, aliisque, ad isthæc offerentium se ingenia fidemque experiri; sæpe cognito, haud gnaros discriminum maxima fere polliceri. Broucsautio, hostium & loci gnaro, cura omnium mandata: ad Polderæ Namensis castellum, Hulsta non procul dissitum, delatis navibus, modicis numero, sed milite admodum refertis, ne, plures conspectæ, suspicionem hostes inter, aut iis prodituros, augerent. Proclivi in vesperam die, agmen & iter ordinatum. Primos aliquot, locorum peritos, navales

vales focii, & fclopetarii centum ferme & viginti quatuor excepere. Ab his corbes fexaginta & duæ, ftruendo ponti factæ, a binis fingulæ geftatæ. quarum formam mox in tempore reddemus. Hos quatuor admodum millium manus fequuta. quorum fclopetarii mille & quingenti fuccedentium fronti prætendebantur. Iter pluvias inter & procellas haud parum impeditum, & ideo media demum nocte ad urbem perventum. Ubi primo modefte hoftes agere in fpeciem, aut quia ignari, mox ad arma excitati, vel crediti, terruere noftros quominus reliqua auderent. Auriacus, idoneam peditum equitumq; claffem in præfidium vehens, intellectis quæ evenerant, Hagam fe vertit, in novæ expeditionis curas, & pridem confulta, intentus. Poft quæ, initio Iulii, e civitatum præfidiis, miles undique evocatus, & Rheno, Vahali, ac Mofa fluviis, quîs Fœderatorum ditiones interluuntur, tramiffus eft, immensâ navium vi juffu publico paffim coacta. Iamque Dordrechtum propter, primam Hollandiæ urbem; pleræque convenerant; & gravi mox tempeftate exorta, inter fluminis anguftas fauces, quîs Killæ nomen, velut in ftatione fe tuebantur. Vbi gregarii aliquot, tanquam ad pabulandum, agros invecti, in colonos petulantius graffabantur. Quæ poftquam Auriaco comperta, Centurionibus coram, ad flagitia mi-
» litiæ flexit; Vbi caftrenfium modeftia? Vbi difci-
» plinæ decus? Rarum barbaris, inter amicos, velut
» hoftium, iter, & in patria agreftibus circumfundi,
» ubi e contubernio Imperatoris afpicerentur. Quid
» in hoftico futurum, fi ita domi graffentur? Singu-
» lorum fcelera, fibi, velut ignaro regendi, imputari.

Condi-

Conditas tamen leges. Sed quo illæ, ſi contem- »
nerenrur? Præſcriptam quoque pœnæ ſeverita- »
tem. Sed quo illa, ſi diſſolutus miles præmio licen- »
tiæ utatur? Nec tam vulgus militare ſe, quam »
duces reos poſcere. muneris a quibus & autori- »
tatis neglectu peccari. Cur excurrerent, quibus »
in navium contuberniis proſpectum? cur injuſſu »
aut indulgentia centurionum? Quemcunque lo- »
cum imperator dederit, ſtationem militis eſſe. Diſ- »
ciplinam non magis adverſum hoſtes, quam pro »
amicis repertam. Agerent ergo, & deprehende- »
rent noxios, & in exemplum punirent. Cæteris »
vero ad naves redire juſſis, flagitia & pœnas præ- »
venirent. Ni facerent, ſcelera militum ac ſuppli- »
cia, centurionum fore. qui cum non inhibeant & »
poſſint, ipſi feciſſe creduntur. Ita vagus ante mi- »
les melioribus conſiliis ad obſequium flectebatur.
Poſt quæ lento itinere, tardius, defectu navium, aliis ſubvectis, ad Rhammekæam, Middelburgo in Zelandia proximam, arcem penetratum. Vbi omnium ſtatio; & cæteri indies affluxere. Tum de equite inprimis, qui per Walachriam inconditus vagabatur, querelæ agreſtium cædem. Sed ſtatis paſſim cuſtodiis, quibuſdam impetu ruſticorum cæſis, aliis in furcam actis, malo ſtatim proviſum. Nec precibus aliorum miſericordia data; ubi publicum agitur, melior privatis quam principi affectus. Inter iſta natæ tempeſtates, & venti in Flandriam cogitantibus adverſi, moram deſtinatis injecere; ſummo equorum damno, dulcioris aquæ defectu, quæ tamen procul, ſed haud levibus impenſis, advehebatur. Accedebat animal natura nitidum, & quod carinarum ſordes aver-

ſatur. Fæni & cæterorum abunde erat; juſſo ante milite in dies denos aut plures ſibi armentiſque debita convehere. Dubiis tunc ſententiis Hiſpanarum partium Duces conſilia belli tractabant, periculis gliſcentibus ac metu. Namque agitavere, Flandriam Auriacus, an Brabantiam cogitaret, & quam maxime tueri, ſubmiſſis copiis, conſtantius ac pro Repub. foret. Quippe Rhammekæa ex arce in utramque, ſi ferrent venti, facile ibatur. Vnde inter eos dubitandi cauſſa, & ſententiæ diviſæ. Qui-
» bus in Flandriam bellum intendi videbatur; Tot
» navium Auriaci vim, famamque, extollebant; &
» tot adverſa maris ac incommoda haud toleratu-
» rum, ſi Brabantiæ, in quam ſemper expeditum iter,
» immineret. Ac, ſi invaderet, oppida modica, poſt-
» quam acceperit, redditurum; Nam, majoribus ſatis
» proſpectum. Adverſum hæc vi & tempore opus.
» quam e Flandria raptim transferre ſe poſſe, ſi ten-
» taret. Hanc vero rerum caput; &, manſura ſibi
» cætera, ſi ſervaverint. Ergo unum id bellum eſſe,
» & hoſtem cogitare. quem, etiamſi alia aggreſſum,
» in eam intendi, &, ſi flectat, hic tutius prohiberi.
Ad ea cautiores diſſeruere; Quamdiu incognita
» hoſtium conſilia ſint, prudenter tantum dubitari;
» ubi explorata, decerni. Igitur proſpiciendum ſin-
» gulis, quæ proxima ac parata invaſuris. Quid aut
» quare, quæ unius imperii, cura dividerentur? Bra-
» bantiam & Flandriam limite, non rerum momen-
» tis diſtingui. Nam hanc quoque in iſta laborare.
» Nec aliter fidei aut fortunæ ſatisfieri, niſi utramq;
» militiæ manu amplectantur. Ac id factu oppor-
» tunum, fixis caſtris qua ditiones inter ſe procur-
» runt. Nec fluminibus prohiberi, quibus, injectis

ponti-

pontibus, idonea præſidia, hac, illac, adverſum „ imminentia, tramittantur. Sed priora a pleriſ- „ que antepoſita, & evocati undique in Flandriam agebantur. quorum legiones peditum, quatuordecim millium; turmæ equitum quadraginta, duorum ferme millium numero valuere. Nec eodem, ut inter dubitantes, loco, Aloſtum primo ac Teneramondam propter, dein in VVaſia ac Hulſtæ proximis, ad Brugas alii, caſtra metabantur. Hulſtæ quoque præfecto, in partem curarum, Salvator Beyma additus, domo Hiſpanus; ita perſuaſa gente, inter ardua diffidere Belgis, ſuorum fide, præ omnium, laudata. Duorum inſuper menſium ſtipendia gregariis ſoluta, quo animis aucti imperata haud detrectarent. Qua aggeres Flandriæ & frequentes excubiæ, in irruptiones noſtrorum converſæ. Actus Antwerpiæ civium cenſus; proviſumque, ne qui clam convenirent; & arcem ingredi, in qua præſidium urbi ac robur, ſerio vetabatur. ſuſpectis in ea plurimis religionis adverſæ, & tædio præſentium avidis libertatis. Vnde ut occaſio his, ita illis tum metus major. Interea, omnibus in Flandriam tralatis, Brabantia quaſi deſerta, dolentibus Ordinum pleriſque, converti ſigna, & abſceſſu legionum ſe infirmatos. Ac Gallorum excurſionibus mala & formido augebantur. qui per Montes Hannoniæ & proxima palabundi, abactis armentis, civium aliquot militumque cæſis aut captis, unius tantum noctis itinere Bruxellis, aulâ Principum, aberant. Igitur Auriaco in Brabantiam ire viſum, cæteris poſtpoſitis, eadem adhuc ventorum contumacia. Quod Charnaſſæo quoque, Gallorum Legato, hactenus

alia urgenti, probatum; haud oblatis, post tot dierum intervalla, quæ, cœlo imputanda, nullius industria præstantur. Itaque Iulius se jam provexerat; cum dato signo, sublatisque anchoris, Bergisomæ ad portum, vento æstuque secundis, navigatum est; paullo antè urbibus castellisque proximis claudi jussis; vetito adhæc quorumvis egressu, ne qui ad hostem elapsi cœpta nunciarent. Mox, appulsis omnibus, Rosendaliam primo, hinc Bredam, composito agmine, & magnis itineribus, ventum est. Nam, strato Scaldi ponte, Ferdinandus etiam castra movisse varia formidine ferebatur. Quanquam Auriacus navibus aliquot, quibus, cætera vacuis, tubicines aliquot ac tympanotribæ vehebantur, ad oram Flandriæ dimissis, tubarum tympanorumque concentu, ac si in proximo ipse, plurimas hostium copias aliquamdiu attineret. Henricus Nassovius, Ernesto genitus, servato hactenus idonea cum manu, in extimis Gelrorum, Rheno, jussu Principis, raptim profectus, triduo ante urbem circumsederat. Prima juvenis ætate, sed animo ac manu promptis, & ab excessu patris Frisiæ regundæ datus, comitatis & optimarum artium studiis adjectis, prospera sui fama inter omnes, domi militiæque, utebatur. Exin castra statim designata, præeunte Auriaco, inter belli rudimenta sub Mauritio fratre, dein experientia difficillimorum operum, suis auspiciis, talibus, haud aliter quam cæteris, in exemplum ac imperium imbuto. Sed primo situm aliaque urbis, cætera post, trademus. Breda Brabantiæ oppidum, in Hollandiam ditione extenditur; ad Aam & Marcam confluentes in finibus Campiniæ positum; loco amæ-

amœnissimo, & hinc in Hollandiam, inde in ulteriorem Brabantiam cogitantibus, transvehendisque mercibus opportuno, pagos fere septem ac decem complexum. Aa è superioribus Brabantiæ agris prolapsus, & rivis camporum alibi auctus, qua urbis sedes, Marcæ cognomento, vario anfractu, Wilhelmostadum propter, in vicina Hollandiæ effunditur. Quo urbs, aquis passim perfusa, & fossæ, quaqua interluuntur; structis alibi & occlusis ostiis, ne, relabente æstu, siccæ destituantur. Ager sylvis consitus est ubi in colles assurgit: plana ejus, segetis aliorumque uberrimo proventu laudantur. Aeris salubritas summa; qua languentia alibi corpora fruuntur libenter, & sæpe sustentantur. Ac tot rerum vicissitudines, a sexaginta retro annis, experti cives, ad bellum pariter ac pacem sunt prompti, fidei caussa extremis sæpe toleratis. Unde gloria illis, & urbi fama. Origines ejus, ut plerisque, obscuræ, antiquitatis argumentum. Notatum invenio, qua tempestate (ferme annum propter sexcentesimum) Gothorum Vandalórumque ac denique totius septentrionis in primam ac secundam Germanias agmina effundebantur, ut aliò, ita huc quoque eorum colonias travectas, fide majorum Danis maxime memoratis. Et arcem eidem stetisse ferunt, vocabulo gentis nuncupatam. Quæ, ut in dubiis, singulorum judiciis permissa, nec arguimus, nec probamus. Alia certiora. Quippe constat, jam olim peculium nobilissimæ gentis fuisse, cui ab urbe, aut huic ab illa, nomen inditum. quam sui primo juris, dein, offerente Godefrido, Bredæ domino, ob impositum Scaldi vectigal & acceptum, Henrici Lotharingi, ac post

ſequentium Brabantiæ Principum cultum agnoviſſe, quidam tradunt, ſcripturas veteres ſequuti. Brabantis certè cum Hollandis, aliquando Gelris, bello commiſſis, plùrium, qui Bredæ tunc potiti, egregia facta ac fidem auctores annalium celebravere. Gerardi Raſſingemii, ad annum CIↃCCCXXVI, ditionem Bredanam; ab eodem tum Iohanni, Brabantiæ Duci; ab hoc Iohanni Polano, venditam fuiſſe, invenio. Ac ejus quidem ſtirpis imperium annos plures agnovit, donec unicæ Polanorum hæredis Iohannæ cum Engelberto Naſſovio nuptiis, in hujus gentis, annò fere CIↃCCCCIV, dominationem devoluta eſt. Ex quâ tandem Rhenatus Chalonius, nullis liberis, Wilhelmum Naſſovium, Arauſii principatus, cæterorumque, ac Bredæ hæreditati adeundæ, ultimis tabulis nuncupavit. quem filii, Philippus, Annâ Egmondanâ; dein Mauritius, Annâ Saxoniâ; hinc Fredericus, qui rebus nunc impoſitus, Ludovicâ Coligniâ, geniti, viciſſim excepere. Fortunam, haud aliter ac dominos, incendiis olim, ſub Naſſoviis potiſſimum bello, urbs mutavit; vi, dolo, fame, quibuslibet injuriis, vexata. Ferdinando Alvareſio, duce Albano, rebus Belgii admoto, Hiſpano parere vi juſſa; ab Hollaco Comite mox Naſſoviis vendicata eſt. Nec multo poſt Hautepennii aſtu capta; iterum inuſitata arte, milite ceſpite vectoriæ navis tecto, ductu Araugerii, auſpiciis Mauritii, Fœderatis ac domino reſtituta. Tandem à Spinola Ambroſio lenta obſidione & fame fatigatam deditamque hactenus Hiſpani habuere. Multa tum his pro victoria erant: tarda Fœderatorum conſilia, & aliis potius ac incertis, quam liberandæ urbi, in-

nixa;

nixa; vocanda procul & undiq; sociorum auxilia, & sero accepta; fessa ad hæc itineribus, & tempestatibus jactata; attrita morbis, & militiæ, ac fidei, ut inter tirones, ignara; tarda quorundam ministeria, & impar cura, denique Mauritii excessus, consulti omnium ac ducis. quibus tum hostes, ac tempore, muniendis castris, utebantur. Posito ad Heydam castello, portui servando, prohiberi illos aut turbari potuisse, a militiæ peritis indicatum sæpe, creditumque; sed parcendum impensis plerique rebantur: haud credito, Hispanos obsidionem urbis ausuros, cætera invictæ. Namque triennio ante, muros operum per artem obliquos, aut introrsum sinuatos, ut latera oppugnantium adictus patescerent, aliaque urbium tutamenta, Mauritius adjecerat. animi Princeps maximi, & cui pro securitate prudentia placebat. Quare militari architecturæ totum se primis ab annis impenderat. Cujus usu oppida Belgarum passim munita; & exercitationes, scripto vulgatas, velut normam artis ac legem, Reges plerique, Principesque, etiam hostes, jam sequuntur. Mœnia urbis arcisq; in passuum millia quatuor ambitu, justaque altitudine, extenduntur. Inde late in circumposita prospectus; versis quaqua sylvis, cæsisque, quæ eminus visuris, & latebræ hostium, obstabant; necessitate suburbanis deliciis anteposita. Nam utilitate in publicum damna privatorum pensantur. Ad hæc mœnia * munimentis quinq; supra decem instruuntur: justo adeo intervallo, ut interjecta & se vicissim tutentur; quibusdam in † cornuta opera, aliis in eorum intervalla porrectis. Alibi in extrema mœnium planitie interpositi * colles duo, in eam alti-

* *Bolvers*, Bolwercken.
† *Ouvrages à cornes*, Hoornwercken.
* *Cavaliers*, Catten.


altitudinem, ut cætera despiciantur. Catti Belgis, Equites Italis appellantur: illis, a machina olim sic dicta, & frequenter pilis fundendis usurpata; his, quod supra alia extent, nomine mutuato. quibus in infimo mœnium munitiunculæ minores duæ, alibi tertia, colle haud superimposito, ad fossæ oram, recipiendo militi, prætexuntur. Vallum mœnium, sepe spinea, crassa & adulta, prohibendo ascensui, & velut militum lorica, coronatur. Fossa latitudine passus centum & quinquaginta, nonnunquam tantum septuaginta, altitudine pedes sexdecim, præter aut propter, complectitur. In hac * moles, insularum specie, a vallo divulsæ & aqua circumfusæ, decem & quatuor spectantur; mœnibus qua munitiones majores non extenduntur, & fossæ, tuendis. Cum opus, cymba adeuntur. Extrema fossæ, † lorica in pedes quinque edita muniuntur. quibus interposita munimenta majora quinque, quæ frontis forma & nomine * cornuta, fossis ac sudibus acuminatis præcincta, quatuor urbis arcisque portis, & longissimo mœnium tractui, prætexuntur. quorum quatuor latera recta longa pedes CCX, lata CL: nisi quod uni, arci objecto, in longitudinem triginta, in latitudinem quinquaginta, cum id loci situs posceret, insuper adjecti. Horum fronti præstructa † receptacula, quæ dimidiatæ Lunæ forma ac vocabulo laudantur, &, aqua undique circumfusa, angusto & modici operis ponte, transducendo militi, cornuto cum opere conjunguntur. A quorum fossa passuum aliquot intervallo lorica ducta, externæ illæ munitiones, ut ipsa mœnium fossa, circumcirca ambiuntur. Obsidionem urbis Spinola aggresso,

* Ravelin.

† Parapet. Borstwering.

* Ouvrages de corne. Hoornwercken.

† Demie Lune. Halve Maen.


BREDAE
SITVS ET MVNIMENTA.
Arx
Aerken
Aerka flumen
. . Munimenta ſeu Boluers.
. Moles ſeu Rauelins.
. Colles. ſeu Caualliers. Catten.
. Receptacula in foſſis mænium.
. Lorica ſeu contrescerpe.
. Munitiones cornutæ.
. Receptacula brachio munita.
. Insula ſuburbana murulo loricata.
. Portæ Vrbis et Arcis.


Merka flumen
Aa flumen
ITA.
rken
dael

* coronato insuper opere & sudibus, externa, quæ jam memoravimus, opera cingebantur. Sed Hispanis rerum potitis ea evertere visum, æstimato milite, quo opus, si uterentur. Cætera mansere; ita disposita, ut alia depressa, quædam editiora, alis quasi in quadrum aut obliquiores angulos porrectis, se invicem amplectantur, quanquam non eadem ubique operum vi, eadem tamen tutela. Quo sumptibus alibi parcitur, & nihil usquam intutum. Ad hæc ita conjuncta omnia, ac divisa, ut, si cedendum, ex aliis in alia facilis sit receptus, & uno amisso cætera velut integra, & novæ hostibus curæ offerantur. Aqua ubique & egesta terra, impedimenta irrupturis, & propugnantibus tutelæ, externarum munitionum usu ratione & experimentis accepto. Namque iis objectis, mænia urbis, & ipsa partim intacta, ac occupato in iis tractoque hoste, multa liberandis urbibus, hyberna sæpe tempestas, aliaque, offeruntur. Sed mihi hæc & talia inspicienti in incerto judicium est, veterisne ævi instituta an nostri ingenia ac solertiam magis æquum sit admirari. Quippe antiquissimis temporibus pericula belli, & ideo virtus, majora, cum a manu commissis, obverso in hostem vultu, pugnaretur. Tum validi corpore ab infirmis, generosi ab ignavis, animo & corpore ac fortuna distinguebantur. Prælia ferme ac justæ acies frequentata, ex quorum eventu ditiones ac oppida victorem sequebantur. quæ, coalescentibus populis, primo sine vallo, dein levi in circulum aut quadrum, turribus alibi interjectis, munita, non satis tuta defendentibus, sed adversum vim utcunque valida. Namque arietes, catapultæ, faces ac la-

* Ouvrages couronnés. Kroonwercken.

pidum jactus, & similia, oppugnantibus tum in usu; quæ jam intermissa; & nomina tantum in annalibus gentium, Romanæ præsertim, leguntur: pulvere pyrio, & tormentorum machinis, quorum vis major, avorum memoria repertis. Inde jam urbibus nostris operum ductus pro tuentibus, & contra insultus externos. Nec minus eruta humo ab obsidentibus in ea penetratur, usu eorum ac vocabulis inter antiquos fere ignotis. Quæ describenda cum susceperim, veniam dabunt, ad quos hæc nostra pervenerint, si eloquentiam veterum ad opus novum adeo, & impeditum, haud attulero. Nam illis excidia urbium, vim ducum, ac commissas acies professis, res magnæ pari dicendi gratia excipiebantur: nobis, licet haud dissimili rerum gloria, in aliis arctoq; magis est labor. Cæterum ad incepta redeo; quæ verbis haud exculta, rerum fide proditurus. Præerat tum urbi Gomarus Fordinius, domi nobilis, & Diestæ municipio Brabantiæ natus; qui bello egregius ac fama, inter ambitum multorum, primas militiæ dignitates acceperat. Præcipuum illi fidei decus ex magnitudine animi & quantivis periculi contemptu; quibus plura sæpe inter extrema, quam prudentiæ artibus, geruntur. Illuxerant ea, cum castelli Schenckiani obsidionem paucis ante annis toleraret, gloria exempli ab omnibus æstimata. Quanquam mox dedere cogeretur, absumptis, præter alia, quæ curandis vulneribus, fovendisque ægris plurima desiderabantur. Quorum tamen inopiam memorabili astu aliquamdiu eum texisse tunc, accepimus. Chirurgis quippe vocatis, & jurisjurandi religione in silentium adactis, præceperat, fingerent ac miscerent adipem, alia, quæ fucato in speciem
colore

colore incrustata, curandis vulneribus fomenta veluti & cataplasmata præberentur. quæ cum nec auxilium inferrent, nec noxam, visa tamen ægris superesse quæ absumpta; & pariter integri, quo hostibus se offerrent, animis augebantur. Unde mox Bredæ impositus eo plus curæ attulit, quo majus erat quod committebatur. Ille statim quævis strenui ducis munia exsequi, inspicere opera, nova attexere, collapsa restituere; stationibus, vigiliis incumbere; semper diffidere suis; cum somno curas partiri; hosti intentus esse ac si immineret; disciplinam excolere; & militare vulgus, sæpe querulum, pœnis, quas raro exsereret, sæpius minaretur, aut promissis, in officio continere. Namque ob stipendia aliquamdiu dilata sæpe miles exarserat; nondum cœpto motu, sed sparsis libellis, inopiam publicam aliquando exprobraverat; aliaque, latius eruptura, nisi tempestivo remedio prævenirentur. In necessariam tamen bello annonam maxime curas impendit. cui cum pyreus pulvis & incendiarii funes inprimis deessent, litteris non semel flagitaverat. quæ tamen aliis, contempto hoste, neglecta. Præsidium urbi militum ferme trium millium erat, Hispanorum copiis aliquot paullo ante obsidionem acceptis. Modica manus circuitum urbis & opera cogitantibus. Burgundiones præcipui, gens bello acris; & eadem animi ac fidei pertinacia. Gnarum Fordinio, accepto Fœderatorum apparatu, Bredam quoque inter hostilia posse tentari; aut provide suspicabatur. Quod quanquam ab eo sæpe expositum, tamen, insuper ab aliis habitum aut non creditum, exitio fuit. nisi, postpositis quæ petebantur, gloriam ejus alio-

rum invidia ſubvertere contenderit. quæ frequens inter æmulos, & ubi ambitionis certamine parvæ magnæque virtutes committuntur. diverſas inter gentes præſertim, quæ, ne quid aliis debeant, reliquarum gloriam inſectantur. Cæterum Fordinius nil conſcientia contatus, neceſſitatem pariter ac virtutem ſequebatur. Igitur hoſtili corona circumſeſſus, vocatis centurionibus & militiæ præfectis, quæ in præſens utilia diſſeruit, ita exorſus; „ Adeſte vero, fratres ac commilitones. Nec enim „ jam verbis vobiſcum agam, qui ſigna hoſtium vi- „ detis; gratiora, ſi milites eſtis, quam chariſſimi „ propinquorum. Nam educti ad militiæ gloriam, „ quæ tantum ſummis mortalium innaſcitur, peri- „ cula non declinatis. Ac ut naturæ vim agnoſci- „ mus ex adverſis, ita militem inter hoſtes, & con- „ flictu. Nec tam alia nunc loquor, quam hoſtium „ temeritatem. Cui ſi virtutem & ardorem animi „ opponitis, facile ſuperiores ſitis. Nil mihi Republ. „ carius, nil vobis, qui iſti, ſi unquam, nunc obli- „ gati & devincti eſtis. Habebitis me non ducem „ tantum; ſed ſocium periculorum. quæ pro gloria „ occupanti ſunt; &, non depulſa, famæ offeruntur. „ qua neglecta, ne quidem viri eſtis. Nec tam ſecu- „ ritatem urbis, quam veſtram flagitamus. Nec „ Rempubl. nunc præfero, cum veſtrum ſit quic- „ quid feceritis. Mihi in vos imperium & exem- „ plum; vobis in militem; militi, quod Dii ſiverint, „ in hoſtem; omnium autem conſilia erunt. quæ „ ex uſu qui probaverit, mea libens ſubmiſerim. „ Nam, hercle, omnium nunc eſt publicum decus; „ ſingulorum vero, ſuum in eo poſitum cogitare. „ Nihil appetite ob jactationem, nihil ob formidi-

nem

nem recuſate, anxii pariter ac intenti. Nam nec »
victor eſt, qui pericula tantum irritat; nec miles »
cujus animum metus intravit. Eo jam loco ſumus »
ut tueri noſtra potius ſit quam offendere; præci- »
pua temporis æſtimatione, quo longius duramus. »
Modica nobis militum manus, ſed idonea, ſi ob- »
ſequi didicerint. Nec deerunt, ſi adæquatus omni- »
bus, etiam vobis, ſit labor. De pyrei pulveris ino- »
pia non tam querimur, quam uſum ejus, tantum »
ubi opus, commendamus. Nec id diſſimulandum »
apud vos, ut, quod deeſt, conſilio juvetis. tegendum »
tamen in vulgus, ne dejectis animis admittere »
hoſtem malit, quam lætum rei exitum fiducia ſibi »
perſuadere. quem ſpe ac Principis noſtri magni- »
tudine præcepi. Agite tantum concordes, & cer- »
tamina ambitionis in præſens exuite aut differte; »
& hoſtile odium charitatis vobis vinculum ſit, au- »
cta in adverſos ira. Quæ ſi fiant, inter proſpera »
ſortis vel iniqua, exiſtimationis gloria vobis ac mihi »
ſemper integra erit. Finierat, & omnes conſtan- »
tiam ac fidem obtulere; ſua cuique ſtatione tribu-
ta. Nec alius gregariorum ardor, quanquam la-
bore & vigiliis duplicatis. Factum per eos dies,
ut litteræ Vandenbrouckii, civis urbani, Antwer-
piam deſtinatæ, Fordinio traderentur. quis adve-
niſſe Auriacum, & ſerio urbi imminere, aliaque,
non tam falſo, quam nimia æſtimatione, retulerat;
inconſulta, aut, ſi mollius acciperes, excuſanda.
quæ tamen infidi ac factionis adverſæ eſſe, apud
ſuſpicaces, inter quos intuta omnia, facile crede-
bantur. Ea propter in vincula conjectus graviſſimi
criminis poſtulatus eſt; donec mutata urbis fortu-
na, carcere ſimul & pœna ſolveretur. Nam nec

graviora Fordinius commota urbe ausus erat. Ista quoque tempestate nonnulli sacrorum inter nostros administri Bredæ annos jam aliquot detinebantur; jure talionis abducti, ob natas de Sylvæducis territorio lites; Fœderatis, capta urbe hoc quoque sibi cessisse; Regiis contra, cæteris integris, urbem modo ereptam sibi, contendentibus. qui liberaliter hactenus habiti, & intra modici hospitii angustias se continere jussi, cœpta statim obsidione, primo civium, militumve alloquio prohibiti, mox, quanquam jussa sequerentur, in carcerem sordidissimum conjecti sunt. metuente Fordinio, ne, eorum consilia alii amplexi, motus aut insidias meditarentur. Obsidio urbis, quia præter exspectationem oblata, hostium consilia admodum turbaverat. Quippe tentanda statim Auriaci castra erant, circumvallatione eorum nondum peracta. Raptim igitur Flandria, & alicunde, quæ ad manum & procul erant, copiæ excitæ: missis pariter ad Fordinium Ferdinandi Cardinalis, & Thomæ, Sabaudorum principis, litteris. quibus spe liberandæ urbis arrectus, officii etiam monebatur;
„ Consilia quidem hostium præter opinionem suam,
„ non spem esse. a quîs tempus præreptum, haud
„ successus. Quippe magna eos tentasse, ut tanto
„ majori clade aut ignominia dispellerentur. Hacte-
„ nus apud eos fortunam esse, nunc audaciam, &,
„ nullo adversi metu, fiduciam spei aut securitatis.
„ qua circumventi sæpe qui utuntur. Se autem ne-
„ que ab animo destitui, &, facta irruptione, me-
„ morabile facinus ausuros. Referret modo qua
„ castra hostium maxime intuta, ut gloriæ potius
„ quam periculis consilia exponant. Quod si factu
arduum,

arduum, alia adhuc sibi superesse. Nam quanto »
latiùs hostium urbes porrectæ & divisæ, tanto plu- »
ra invasuris offerri. Quæ si tentarent modo, distra- »
hi eos, & obsidium turbari. Cognitam sibi Fordi- »
nii manum ac fidem. Nec hortatu apud promp- »
tum, nec suis consiliis apud acturum ex usu, opus »
esse. Duraret tantum; & rationes omnes ad spem »
componeret. Instar vero omnium fore, si non tam »
hosti parceret, quam necessariis, inprimis ubi im- »
pensa non prodessent. Et quoniam ære opus, in
stipendia aliquamdiu hactenus dilata, quo promp-
tior miles redderetur; transcripta florenorum mil-
lia decem & octo. Facta insuper præfecto urbi po-
testas colligendi publico nomine inter cives pecu-
niam, quæ justo cum fœnore postmodum redde-
retur. Quo tamen parum effectum apud gnaros
publicæ necessitatis; & quia regiis opibus accisis,
aut ministrorum perfidia interceptis, vix restituen-
da cives crederent quæ per magnificas pollicitatio-
nes petebantur. Et in recenti memoria plurimi
erant, quorum patientiam longa jam expectatio &
neglecta fides publica fefellerat. Altius inter ista Fer-
dinandi animum tentavit, quod Antwerpiæ mer-
catorum opulentiores, pecuniam Regi suo, easdem
ob causas, detrectarent; suadente metu, quo, & fu-
turi mali exspectatione, quæ in præsens bona a
consternatis sæpe differuntur. Nec aliter per illos
dies, quidam hostium mente turbida eum sistere;
qui non exiguam æris vim positis alibi præsidiis fe-
rebat; quasi oblatis stipendiis, quæ per tantum tem-
poris intermissa. Nam annuus Hispanorum ex In-
dia auri argentique proventus, metu Batavorum
oras istas obsidentium dilatus; & quia magni operis
passim

passim bella, inter caussas paupertatis publicæ erant. Sacrorum tamen Ordines, interque eos Antwerpiensium Antistes, & Abbas S. Michaelis, opibus inprimis pollens, cum, quantum in Breda momenti positum, Ferdinando exponerent, non negaturi videbantur, si quid è republica peteretur. Legati Hispanorum, qui tunc duo in Brabantia erant, ne Breda negligeretur, acriter quoque instabant; „ Satis jam mora peccatum, qua hostibus potius, quam sibi sit prospectum. Quid igitur bona Reipublicæ differrent? Diffidia procerum consilia vocari, & profutura interim postponi. Queri quosdam, nec mala corrigi; alios contemnere; nonnullos, quo augeant, tantum dissentire, &, si laudanda tandem suaserint, successum intervallo temporis præverti. In cujus æstimatione tanto plus positum, quanto ejus usu plura hostes exsequerentur. quos dum invalidi, intuti, castris eorum haud dum peractis, posse invadi. Ludibrium publico, non remedium offerri, ubi dilato eo valentius fit malum. Satis militum esse. cur non uterentur? Nec defuturos duces, si juberent. In quîs non ambitionem hujus aut istius gentis, sed usum nunc spectarent. Optimum quemque fidelissimum esse; & ubi publici egregii bonum præfertur, neminem postponi. Et vix arbitrium consultantibus jam reliquum; necessitatem ab hostibus imponi. Ad quos qui adtenderit, optima suasurum. Nisi forte malint inutili mora ad exitium festinare; & post acceptam cladem laudare, quæ nunc potius sequerentur. Desinerent ambitionis; irent in hostem, ac ex horum consilio sua componerent. Quippe tutius eos quam suos consuli, ubi animis præsentibus,

tibus, & manu, eſt opus. Inter quæ ſacra ſuâ; ut mos gentis, & Divos obteſtabantur. Sed idonea militiæ manus, partim inquies, partim paullo remotior, diverſa etiam ſentientibus quibus belli adminiſtratio erat, vix in unum cogebatur. Exſpectata ducis Picolominæi ſubſidia, millium trium, longius quam pro voto differebantur. Mox tandem caſtrenſes copiæ in unum actæ, ad millia ferè peditum ſexdecim, equitum autem quinque. Placuit communi adſenſu, ut Iohannes Naſſovius, ſupremus equitum ductor, caſtra Auriaci primus omnium tentaret. Tradita ipſi peditum quinque, equitum duo millia. Iuſſus eſt aggredi caſtra Hagæ, qua Guilielmi Naſſovii ſtatio erat: Monito Fordinio, ut eodem tempore & pari impetu in hoſtes ingrueret. Caſtris perruptis, legionem Brionii, & aliquot equitum turmas, cum annona militari in urbem mittere, &, ſi primus impetus non ſuccederet, tota exercitus vi aggredi, conſtituerant. Quæ clam ad Principem referebantur, & curam diligentiamque intendebant. Iohannes Naſſovius nihil temere auſus, molem & vim caſtrorum per inſidias explorat. Miles habitu feminam mentitus, exploratis omnibus, ubi reditum parat, agnitus eſt; ſed curſus celeritate, a ſuis exceptus, ſine periculo evaſit. Is robur operum aliaque magnificè expoſuit; quibus plura credentium metus, quam mendacia exploratoris adjecere. Quocirca tentare fortunam Naſſovius verebatur, cum, ſi pugnaret, exitium ſingulis immineret. Erant tamen quibus viſum aliquid audere; Conatum ex fama ſemper eſſe; » & non tam cogitari mala, quam exſcindi debuiſſe: » cum ſicut victoriam, ita cladem nemo præferre »

„ possit, nisi qui accepit. Aliis tamen existimanti-
„ bus; Præstare, non aggredi quod imperatum est,
„ cum caussa prætendi potest, quam tueri quod fa-
„ ctum est & non successit. Ferdinandus interea cum exercitu rebus se parat: sed plurima erant, quæ impetum ejus morabantur, mora tot dierum interposita, robur operum Auriaci, vigilantia ejus & vires, accuratæ passim vigiliæ, & alia quæ in castris laudari consuevere. Tandem mox cum copiis est progressus, id curante interim Auriaco, ut itinera hostium, vires, consilia, animos, quantum fieri poterat, indagaret. Alii igitur, jussu ejus frequentare agros, per quos itur hostibus, consulere agrestes de numero, de sermonibus castrensis vulgi, & eadem mox referre. Quidam ingenio promptiores & audaces, haud modico pretio illecti, ipsis hostium castris se inferre, mutare habitum, fingere vultus ne agnoscerentur; animum addictum illis probare quos oderant; odisse quos amarent; manum offerre periculis quæ explorabant, præferre quæ ipsi meditati, ut quæ ignota elicerent; facta, præsidia hostium cognoscere, ac de iis differere, velut suorum essent; contuberniis gregariorum primo misceri; mox adire qui honoribus militiæ funguntur. Pocula inter & circulos & congressus nonnulli venum quid circumferre; lautioribus hospitiis, & ideo majoribus, uti; semper vero linguam cohibere, ne quid erumperet, & cum cura esse ut aliud agere viderentur. Non unius hic usus aut ministerium; & singuli aliorum ignari erant; ne aut se invicem proderent, aut ex compacto agerent, ac referrent. Et singulis seorsim auditis, ex usu erat scire in quo dissentirent.

Ex

Ex his cognita ſæpe quæ ignorari non debebant, nec tamen ſemper fidem meruere; pari fere periculo eorum, qui & obiter deſtinata hoſtibus inter ipſos explorant, & nimis temere illis credunt. Tum eques quoque frequenter excurrere juſſus, & proxima agminis ambire. Inter quos Optio Croquius, animo interritus, labore ac induſtria pari, tergo hoſtium utplurimum imminebat. ſæpe prædæ, aliquando militum potitus: qui, a cæteris diviſi captique, Auriaco ſiſtebantur; &, de ſuis rogati nonnunquam vera ac profutura edebant. Intellectum Hoochſtratâ pagum Ettam Ferdinandum petere, quæ ad Hagienſem Guilielmi Comitis ſtationem, aut Wilhelmoſtadi inſulam via erat. Obterendis ejus conatibus navibus impoſitæ aliquot cohortes, & eo ſe conferre juſſæ, dato in mandatis Iſelſteinio tribuno, ut expedita aliquot equitum manu ſitum loci accurate exploraret, quo, ſive recluſis cataractis, ſeu perfoſſis aggeribus, iter hoſtium ſiſteretur. Ea tempeſtate Carolus, Princeps Palatinus, patris Frederici, Bohemorum Regis, fortuna extorris, & domi dignitate a Cæſare Ferdinando prohibitus, caſtra eſt ingreſſus, contubernio Principis æſtimatus. Incitabat eo juvenem animi excelſi libido, quem peritum eorum, quæ pacis artibus commendantur, & campeſtri meditatione ab aliis, aut lectione, à prima ætate, imbutum, veri belli ſpectaculo jam impleret. Sequuti ejus exemplum ſunt Britanni aliquot, genere illuſtres; qui, licet pace florentes domi, foris, quæ patriæ mutatis temporibus impenderent, diſcere geſtiebant. Gallorum tum quoque excitata pubes, gens militiæ artibus ſemper clara,

quanquam varia jam Regis per Italiam, Germaniam, Burgundiam bella, nostra quoque inspicere ac sequi. Ad quæ concurrêre etiam frequentes ex Septentrione, animo ac cœlo ad militiæ laudem indurati. Ante alios vero Princeps Chartoryskius, cui a Polonorum Rege Uladislao IV mandatum
» accepi: Bredam raptim se conferret. Auriaci vim
» ac ingenium cum urbe validissima committi. Illam
» Scholam militarem, inque ea experiendo magna
» disci. Ibi pulverem attolli; pro milite terram, pro
» humani sanguinis compendio artem esse. Vmbra-
» tica quæ ex chartis hauriuntur; & profutura, ubi
» ars, animus, ac manus pariter offeruntur. No-
» vum jam sæculo datum Archimedem. cujus vir-
» tutem ac felicitatem ut hactenus evexerint fata,
» ita majora indies exspectari; &, quæ fecerit, neminem ante docuisse. quæ mihi certo comperta, ne quis famæ dedisse crediderit. Ex his quidam ordinem ac disciplinam castrorum, meditamenta operum discere ac mirari; alii cohortibus adscripti, quia volebant, observatis vigiliis, ut qui stipendia merent, periculis offerebantur. Tanto enim propius usum omnium, ac ex tempore mutata aut correcta, noscere erat. Mox quoque Auriaci soboles, Guilielmus, jussu patris, castra invisit. Annum ætatis duodecimum necdum attigerat, & jam fortunæ suæ parabatur. Quippe Ordines Fœderati, nihil læsa libertate, admodum puero imperium detulerant, ne Reipublicæ aut patri successor in incerto foret. Itaque imperatoriis artibus, in quibus majorum gloria & exempla, jam tum imbui cœpit, immaturus quidem annis, sed animo & ardore pueritiam prægressus. Queis addita eorum cura,


qui


qui aulæ gnari, autoritate, peritia rerum & ætate accepta, quidquid præſcriptum, a puero obtinerent. qui quanquam aliis intentus, quodam naturæ ductu, in ſtudia belli fertur. Quippe modeſtum illi, ſed militare tamen ingenium, pacis & militiæ laudem, cum temperamento morum, promittit. Nihil potius ex ſuis audire quam inuſitata, quam prodigia virtutum, Coclites, Decios, Curtios, Romanis ante omnia æſtimatis; vim, certamina leonum, & ſi quid feris inter alias eximium datum: quibus, ut olim ſapientiæ rudimentis, ætas illa delectatur. Ad iſta majorum non tam genus, quam facta, avi Guilielmi decus ac cædem, patrui Mauritii memoriam, parentis obſidia, aliaque queis ad vindictam aut æmulationem accenditur, æſtimare: Namque in his ingenium ejus occupari exercerique pater juſſerat. Sed & ſcandere equum, flectere, admittere ex arte; pupis plumbeis diſponere aciem, dividere, convertere, & inter crepundia fingere hoſtem, confligere, domare. Qualia olim caſtrorum meditamenta, & umbraticæ pugnæ, viris, Romanorum quoque moribus, ſemper laudata. Unde & prætoria ejuſdem fere ætatis pubis cohors nunc data, atque in ea, velut inter veteranos, quicquid legibus militiæ præſcriptum, a pueris, fiſtulariis partim, aut haſtatis, ſtato die obſervatur. In publicum procedit; aulam prægreſſa, omnium, patris præſertim, oblectamentum. Sunt ſuæ contumacibus & ignavis pœnæ; ſunt munia; & procedere, retro flecti, circumire, excipere alios, procurrere, ut in acie, ſinguli docentur. Magnatum fere liberi ſunt, ut arti, Principi, & fortunæ ſuæ pariter aſſueſcant. Guilielmus inter eos imperium

exserere, quosdam loco movere, alios adsciscere, evehere, jubere, & autoritate agnosci. Cæterum peracta castra, dum se differt hostis & exspectatur, in stationes quatuor divisa. Principis Ginekæ posita. In qua legiones Gallorum, Hauterivii, & ejus cohortes x, Ducis Candalii, & ejus cohortes ix, Maisonneuvii, & ejus cohortes x, Charnacæi Legati, & ejus cohortes xii, Chatilionii, & ejus cohortes x; Mauritii Comitis Nassovii, qui Indiæ Occidentalis militiæ nunc præpositus, & ejus cohortes vi; Anglorum, Herberti, & ejus cohortes xi, Goringii, & ejus cohortes xi, Colpeperi, & ejus cohortes x, Morganii, & ejus cohortes xi; Comitis Solmensis, & ejus cohortes vii; Brederodii, & ejus cohortes vi. Accedebant sub Gleserio, prætoriæ præposito, cohortes iii; prætoria, Comitis Culenburgii, & Witsii, supremi vigiliarum præfecti. Erat quoque hic aula eorum, qui, e Patrum senatu missi, autoritate, & si opus, consilio Principem juvarent. Secunda statio Guilielmi Comitis Nassovii Hagæ habebat. Tuebantur eam, legiones Germanorum; Guilielmi Comitis, & ejus cohortes ix, Erentruterii, & ejus cohortes viii: Batavorum; Beverweertii, & ejus cohortes vii, Wijnbergii, & ejus cohortes vi, Henrici Comitis Nassovii, & ejus cohortes ix: Scotorum; Ammontii, & ejus cohortes vii; Sandelanii, & ejus cohortes vii, Balfortii, & ejus cohortes vii. Statio Henrici Comitis Nassovii, Frisiæ præfecti, Teteringæ agebat. Quam legiones habuere Frisiorum; Henrici Comitis, cujus cohortes viii, Aismæ, cujus cohortes viii: Germanorum; Steyncalfeldii, cujus cohortes vi: & Anglorum insuper cohortes vii.

Erant




TYPVS
Baronatus Bredani, et
Circumiacentium
locorum.
Lommel
Luycx Gestel
Abdy van Postel
Moll Vryheyt
Reithy dyck
Arendonc
Eersel
Mersfeldt
Eyndhoven
Hapert
Ruersel
Hogenierde
Westerhoerse
Ravels
Weelde
Kanondye
Boxtel
Moergestel
Poppel
Goirle
Esche
Tilborch
Ryle
Berckel
B A R O
N I A
Gilsen
Dongen
Cromvoort
'S Hertogen
bosch
Venle Opt Zandt
Crevecoeur
Heusden
Wyck
Bruck
Den Hil
Dusse
Besoyen
Waspyck
Oosterhout
S Geer
truydeberg
Millaria Germanica
Millaria Brabantica
Pag. 63.



Mechelen
Herentals
Liere
Ramay
Waver
Bouwel
Mol
Kasfel
Merle
Wympt flu
Vorselaer
Groot hout
Royo
Beerse
Pulde
Pulder bos
Millegem
Eyghem
Zoersel
Schelde
Marchgrave
Schoten
Schelde flu
Antwerpen
S. Maria
S. Philips
S. Jacob
Lillo
Peckgat
Berendrecht
Santvliet
Ostendrecht
Vingerling
Capelle
Eeckeren
Op de Lucht
Brecht
Wuestwesel
Klampt hout
Achterbroeck
Nispen
Ryck Vorsel
Closter
Meerle
Loenhout
Gelder
Grootzundert
Rysberg
VAN
Breda
Hage
Etten
Brembergh
t' Sprenken
Bergen op Zoom
ZEE
LAN
DIÆ.
Tolen
PARS
Zeelant
Orange
Dyck
Dinteloord
Roosendael
Steenbergen
Princen landt
Klundert
Willemstadt
Sevenbergen
Noordam
Oudenbosch
Gastel
Hoogerheyde
Woude
Huys
Mauritius
Ruychveer Polder
R E D A



Erant & tres aliæ minores peditum ſtationes, ſed majoribus præfectorum ſupremum imperium agnoſcebant. Varickii, quæ Heidam inter & urbem poſita, cohortes XX complectebatur. Ferenſii, quæ ad Ipelariam, cohortibus XII valebat. Boſhuſii, quæ in limite Guilielmiano, cohortibus VIII prætexebatur. Caſtra quoque equitum varie diviſa, prout loci ſitus flagitabat. Potiſſima eorum manus Teteringæ agebat, ubi legiones, Staeckenbroeckii, univerſi equitatus propræfecti, (ſuprema dignitate in Guilielmum Principem juventutis tranſlata) ducentis turmas VIII. Metſii, cui turmæ VI. Beaumontii, cui turmæ VII. Rantwiickii, turmis totidem inſtructa. Heuſenhoutæ, eodem fere tractu, egerunt legiones Ottonis Comitis Stierumii, turmæ VII. Ducis Bullionæi, turmæ VI. Comitis ad Rhenum, turmæ VII. Quibuſdam in prædiis ad Bavelam turmæ duæ, Prætoria Principis, & Charnacæi, mox, eo defuncto, Ponti Sanctipierrenii agebant. Haga legiones duas, Brouchemii, & Forcæi, in utraque turmas VII, oſtentabat. Heidæ legio Iſelſteinii turmarum V habebatur. Maxima tamen equitatus pars dein caſtris exceſſit, abeuntem palantemque hoſtem propere ſequuta, peditum aliquot legionibus additis. quod mox dicemus. In univerſum cohortes peditum CCXLV, equitum LXIX, in armis fuere. * Limes extimus circumvallationis ita imperatus; ut altitudine pedum octo ſupra agros, in quîs conditus, ſeu editi, ſeu depreſſiores illi, emineret. Ut, ſi paullo depreſſius ſolum in unius aut alterius tantum virgæ ſpatium porrigeretur, altitudo operis proximo & contiguo par eſſet. Si in editos † colles aut aggeres ductus limitis incideret, eadem

* *Linie van Circumvallatie.*

† *Landtweeren ofte Dijcken.*


eadem altitudine uteretur. Si solum limite definitum, infra id, quod extra limitem, subsideret, supra exterioris altitudinem attolleretur. Vertici supremo, cespite tecto, trium latitudo pedum esset. Latus utrumque cespite tegeretur. *Scabella interiora duo, inferius altitudine duorum, latitudine quatuor, superius altitudine unius & dimidiati, latitudine itidem quatuor pedum, adstruerentur. †Lorica, cespite tecta, alta pedes quatuor & dimidiatum, in pedes singulos *acclivitate dimidiati datâ, esset. Quæ fossa, lata pedes duodecim, profunda septem, ambiret. Architecti, ut jussum erat, condidere, operis divisis. Ad ista status dies, quo, nisi peracta omnia, nonnihil promissæ mercedis pretio detrahendum indicebatur. Quo cura omnium ac labor impulsa.

* Banquetten.

† Parapet, Borstweer.

* Talud, Doeringh.

Orthographia circumvallationis castrorum.



Præter quæ fossam, †Rusticorum dictam, initio obsidionis, exciti Hollandia & aliunde agrestes rudi operâ ac raptim circumduxerant. Varia in ipso passim limite opera sita, in irrupturos, & pro securitate. ‡Suggestus tormentorum plures numerati; qua viæ, stationes, opera, planities aperta, & ingruere hosti promptissimum erat. Iusto spatio quoque

† Boeregraft.

‡ Batteries.

EXPLICATIO
NVMERORVM SIVE NOTARVM.

1. *Statio Principis, quam Gineke habuit.*
2. *Prætorium Principis.*
3. *Contubernium Caroli, Electoris Palatini.*
4. *Ædes Boeveræ, in quis supremorum Ordinum delegati.*
5. *Cohors prætoria.*
6. *Legio Brederodii.*
7. *Legio Mauritii, Comitis Nassovii.*
8. *Legio Comitis Solmensis.*
9. *Legio Chatilionii.*
10. *Legio Douchanii.*
11. *Legio Maisonneuvii.*
12. *Legio Candalii.*
13. *Legio Hauterivii.*
14. *Legio Morganii.*
15. *Legio Colpeperi.*
16. *Legio Goringii.*
17. *Legio Herberti.*
18. *Rerum ac operum belli curatores plerique & administri.*
19. *Haga.*
20. *Statio Guilielmi, Comitis Nassovii, quam Hagæ habuit.*
21. *Legio Erentreyteri.*
22. *Legio Beverweertii.*
23. *Legio Wijnbergii.*
24. *Legio Batavorum.*
25. *Legio Amontii.*
26. *Legio Sandelanii.*
27. *Legio Balfortii.*
28. *Teteringa.*



Pag. 65.

Scale van 300 Roeden
50 100 200 300


Wech nae Antwerpen
Aa flu.
Aarch flu.
37
38

29. *Statio & legio Henrici, Comitis Nassovii.*
30. *Legio Frisiorum Potteri.*
31. *Legio Steincalfeldii, protribuni.*
32. *Legio Botleri, protribuni.*
33. *Statio Varickii, tribuni.*
34. *Statio Ferensii, tribuni.*
35. *Statio Boshusii, protribuni.*
36. *Heusenhouta, & in ea statio Equitum Ducis Buillionæi.*
37. *Accessus operum Principis, vulgo* Approche.
38. *Accessus operum Guilielmi, Comitis Nassovii.*
39. *Accessus operum Henrici, Comitis Nassovii.*
40. *Heida.*
41. *Gagelda.*
42. *Hemerta.*
43. *Pyramis, amœnitatis caussa olim exstructa.*
44. *Silva pinea.*
45. *Agger, Nigri cognomento.*
46. *Statio navium, quîs annona advecta.*
47. *Arx.*
48. *Osmalia.*

a. *Suggestus tormentorum.*
b. *Cuniculi.*
c. *Vineæ.*
d. *Porta urbis, vulgo,* **de Bos-poort.**
e. *Porta Ginekensis.*
f. *Porta Antwerpiana.*
g. *Porta arcis.*

quoque divisa opera, quibus a * Lunæ dimidiatæ forma nomen fecere. Interjecti passim † reductus, quorum numerus longe maximus, & ad oras limitum, in intermedio operum spatio, qua ductus curvantur, in limitibus traversis, spectabantur. Opera sunt quadrata, singulis lateribus virgas IV, V, aut plures complexa. Positi & alii extra limitem, ubi viarum aut agrorum ratio ac periculi metus flagitabant. Aggere, sæpe aucto, Marcka obstructo & exundante, impletæ castrorum fossæ, & alibi agri stagnavere. Et ne opera subverterentur, fossis castra inter & urbem erutis provisum; quæ, quicquid superfluum, complectebantur. Pinea sylva, quæ urbi & castris adsita, facile per diverticula & anfractus admissura hostem videbatur. Igitur, qua adiri poterat, quovis opere obstructa est. Per meditullium ejus, qua trivium erat, itineri obstruendo, continuus circumvallationis limes tractus, adeo ut magna ex parte sylva intra castrorum spatium contineretur. Ad ista hinc castellum limiti impositum, opere validum, quod Papemutsam dixere, & reductu, intervallo virgarum nonaginta, prætexebatur. Inde ad extimam sylvæ metam, ex limite limes ductus; reductuque etiam majori imposito, addito justo præsidio, via claudebatur. Nam cornuta moles, &, propter eam, lorica, castello objecta est. Fossa circum pedum octo in latitudinem, sex profunda. Vallum pedes sex supra editam planitiem eminebat, lato vertice pedes III, latere utroque cespitibus obducto. Valli scabellum in altitudinem sesquipedem, in latitudinem pedes quatuor complectebatur. Sed & imperatum, ut castelli vallo lorica imponeretur, alta pedes sex, in vertice lata

* Demie Lune, Halve Mane.
† Redoutes.

pedes tres, additis ſuggeſtibus duobus, utraque ex
*Fa... * fronte operis, utroque virgarum duarum, eâ altitudine, ut machinas ſupra loricam facillime attollere liceret. Par lorica quoque vallo coronati operis proximo inſtructa, niſi quod inſuper, firmandi operis cauſſa, juſſum, ut, quotiens ſex digitorum ſpatio terra in altitudinem promota, faſces, vimina, aliaque intexerentur. Ita uno ambitu omnia concluſa. Proſpectum locis ex quis periculum erat: parcitumque ſumptibus ubi non laborabatur, in præſidium, non oſtentationem. Stationes diviſæ operum continuo ductu jungebantur, & velut una omnium civitas erat. Unde & facile ſupremum in cunctos imperium derivatum, quibuſvis agnitis, & per majores ſenſim in juſſu Principis deſinebatur. Igitur vigiliæ quoque paſſim ab equite aut pedite, in caſtris, aut extra ea, adverſum proximos hoſtes obſervabantur. Quarum inſignis cura penes ſupremum earum præfectum Iacobum Wijtſium, manu & conſiliis promptiſſimum, & ideo adſiduum Principi, erat. In caſtris tum quidam periti artis, in deſignanda eorum ſtructura operibuſque ſe occupabant. Quod ſtatim inhibitum, declinandis inſidiis, & ne palam hoſti fieret, ſi quid uſquam deſideraretur. Incognita quippe majora æſtimantur; & parum intereſt, admittere hoſtem, aut qua admittendus ſit, tabulis docere. Pro fama etiam viſum, ne magnitudo operum promiſcua licentia detereretur; gloria ducum ſæpe imminuta per illos, qui facta eorum nec cum cura, nec ex fide vulgavere. Iam vero Rijſebergæ in proximo Ferdinandus erat, & dies nocteſque Ducem & reliquos exercebat. Non alias magis cognitum

tum, sisti hostes,cum ab accinctis paratisque exspectantur. Igitur quantum temporis supererat, augendis operibus dari; miles in armis esse; dies noctesque continuatis vigiliis jungi; nemo stertere aut queri; quisque munia explere; transferri cohortes, qua tentaturi fortunam hostes videbantur; omnia adversa suspicari; simul animo singuli accendi, & stare in acie tanquam mox pugnaturi. Ipse Imperator, quanquam provectus annis, labore, cura, quovis tempore ac loco par ceteris erat; nisi quod insuper profutura consilia meditaretur. Ille dies totos fatigare equum, attollere pulverem, discurrere, agere, jubere quicquid omnium erat. Prandium, cœnam obiter sumere; subinde sitim ac famem juxta ferre. Adulta vespera equum iterum conscendere, somnum ignorare, & diurnas occupationes cum tenebris, quarum benificio hostis imminebat, partiri. Orta luce ad tentorium reverti; lassitudinem membrorum ad horulam solari; mox sollicitudine, aut ab interpellantibus, excitari. Proderat profecto in publicum magnitudo exempli, alacri milite, cui operam suam major omnibus, & pluribus districtus, exæquaret. Ita dies fere viginti & quinque exacti, inoffensa tamen valetudine; cœli indulgentia, &, quod ea vis sit erecti & sua tantum cogitantis animi, ut, insito quodam ardore, adversa corporis tantisper postponat. Constat, validissimos militum vigiliis exhaustos, & nolentibus sæpe somnum obrepsisse. Iccirco alacritatem suam magis intenderat; ne eodem adhuc periculo & metu priores curæ remitterentur. Namque inter ista evenerat, ut novem Anglorum cohortes, fractæ laboribus, & somno

oppressæ,ab eo deprehenderentur.qui vexilla earum in Prætorium auferri jussit, ignaris ducibus, gregarioque. Excitati, vexillis non conspectis, anxii omnes agere, & tandem quod evenerat agnoscere. Adire Principem, reposcere signa, vix tutum illis, qui neglectum muneris, & pœnam, cogitabant. Igitur, intercedentibus aliis, admissi tandem ab Auriaco, & increpiti, accepere; Vos vero desides & ignavos quo nomine compellem nescio. An milites? qui, propinquo hoste, summa omnium & mea alacritate, neglectis vigiliis, securitatem vestram & castrorum prodidistis. An contubernales? qui labores eadem constantia ferre aut partiri noluistis. Stertere, & sine cura esse, quid verò aliud quam deserere stationem? Ignaviam vestram & simul hostium agnoscimus, qui vitiis vestris usi non fuere. Pro clade tamen accipimus, quia per vos perire potuimus. Frustra omnibus provisum, ubi pauca negliguntur. Una tantum via adversis opus. quam quo minus invaserint,per secordiam vestram non stetit. Me vidistis, adsiduum, alacrem, intentum; contubernales vestros, animis, vigiliis infractos; hostem denique securitati omnium incumbentem. Cur eadem non suasere exemplum aut metus? Et nequidquam noctes ejusdem laboris pertinacia exactas præfertis. Frustra enim cœpimus, si non duramus. Quid sequuti naturam estis, disciplinæ, patriæ, mei, fidei denique obliti? Somnus nolentibus irrepsit. Cur admisistis? Sed fessos & tot vigiliis prostratos artus sustinere diutius integrum non erat. At vero ubi natura & vis corporis deficiunt, magnitudo animi in partem curarum inter erectos ac solatium venit. Non enim

alius

alius laboris vobis eſt, quam militiæ finis. Cur »
oculis peperciſtis, qui, ubi neceſſe, ne quidem vi- »
tæ debetis? Non, hercle, mihi liberi caſtrenſibus »
cariores. queîs quidquid imponimus, non ex libi- »
dine, ſed neceſſitate eſſe, ipſi vos non neſcitis. No- »
viſſima exempla meriti eſtis, qui peſſimum dediſtis. »
Sunt apud me ſigna veſtra, & teſtes ignaviæ veſtræ, »
ut olim virtutis. & iccirco jam redduntur. Quo- »
tiens ad illa oculos convertetis, hunc diem cogita- »
te, vitæ ac dignitatis veſtræ ultimum, niſi quæ præ- »
clare olim cum pleriſque veſtrum geſſi, præluceant »
dedecus quod nunc admiſiſtis. Qui graviora ex- »
ſpectaverant, læti & arrecti monitis diſceſſere. Paucorum enim ſupplicio defungi, tam multis crimini innexis, non licebat, pœnitentia omnium in pœnam accepta. Dum iſta geruntur, plus animi obſeſſis, quam Ferdinandi copiis fuiſſe, apparuit. Ginekam inter & urbem, qua mola olim poſita & via, * reductus conditus, & vigilum præſidio prohibendis excurſionibus inſeſſus erat. Trecentorum igitur manu, orto die, magno animo opus adorti, in fugam mox conjiciebantur. Tanta enim vis noſtrorum incubuit; unius Beringii, turmæ ducis, virtute ante omnes ſpectata. Is præcipiti equo foſſa tranſmiſſa, quam ſaltu ſuperare cæteri nequiverant, hoſtium copiis mixtus, ad extimam fere urbis metam fugientes inſequebatur. Cæſi noſtrorum ſex ſeptemve, plures hoſtium, interque eos ſignifer centurionis Croonii; & Belinio, cohortis duci, vulnus letale inflictum. Quæ ex oſtentatione, in nullum rei poſt uſum, in tanta pyrei pulveris inopia & militum, tentata, prudentiores mirabantur. Magiſtratus urbis flagellata a mercantibus annona,

* Redoute.

auctoque nimium pretio, quieti & commodis suorum prospexit; ne, rerum venalium caritate civibus militibusque irritatis aut commissis, domi laboraret. Conditum igitur pronuntiatumque Senatusconsultum, quo suum esculentis pretium statuebatur; mensura tritici florenis VII, siliginis IV; hordei totidem, avenæ III, fagopyri IV, libra butyri assibus VII, casei V æstimatis. quod, salutare in publicum, avaritiam calamitate clausæ urbis abutentium repressit. Metus quoque incesserat, ne, ut a Spinola olim, nunc quoque fame ad deditionem cogerentur. Eapropter excussa civium horrea, & notata quæ in iis condebantur. Reperta est magna annonæ vis; mensuræ siliginis CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCXCIIX; tritici CIↃ CIↃ XXXIV; hordei CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ CCCC LXXII, fagopyri IↃ CCC LVII, avenæ CIↃIↃ XCIX; lupi salictarii pondo aliquot millia. Seminis copia quædam erat immensa. Capita civium censa CIↃ CIↃ IↃ fœminis puerisque eodem numero æstimatis. Cautum quoque, ne quid frumenti, nisi gnaro Magistratu, aliis venundaretur. quippe regiæ annonæ curator, mensem jam totum coempto a civibus frumento, quo publico parceret, alendo militi utebatur, in dies singulos mensuris LX absumptis. quod prævenire visum, metu, ne, a suo defecti cives, militaris annonæ usu tandem prohiberentur. quæ ut laudabilis sæpe cura, ita nunc vana, cum alia Auriacus intenderet. Nam vi armorum obsessis instare potius coacta fame erat; idque ad celeritatem victoriæ facturum credebatur, periculo majori per vim injecto, aut ejus metu. quo cives semper, sæpe milites, consternantur. Accedebat, præter exiguam militum ma-

num,

num, armamentarium hoſtium, cui, ut rettuli, proviſum non erat; annonæ vero pro victu inlatum quantum ſatis. Proinde conſilia in id, quod invalidum, maxime comparata, fiduciam ſucceſſus, & modici temporis intervallum inter cœpta rerum ac finem, pollicebantur. Præter quæ, confecta brevi obſidione, ab hoſtium in alia inſultu tantopere metuendum non erat. Diverſa nuper Ambroſio Spinolæ obſidionis via & ratio. Namque Mauritii, & Fœderatorum cura, copioſo præſidio inſeſſa urbe, & operibus inſuper valida, vis ac animus obſeſſorum adverſis pares offerebantur. Et Bergiſomium, fruſtra ante manu tentatum, metum exempli non temere injecerat. Igitur, cum propius jam abeſſet Ferdinandus, litteris ultro citroque miſſis, de invadendis Auriaci caſtris continuo obſeſſi egere; facto ex edita turri indicio, acceptas eas, & conſilia utrimque probata: ſuſpenſis facibus, quæ eminus inter tenebras potiſſimum videbantur. Quanquam vix admodum portitores, magnis ob pericula præmiis inlecti, noſtrorum vigilias ac ſtationes fallere potuerint. Nam id quoque ad curarum partem acceſſerat, ut interceptis hoſtium litteris cognita eorum conſilia turbarentur. Injectus iccirco auſuris ultimæ pœnæ metus, cujus magnitudine deterriti per inſidias & anfractus viarum non elaberentur. Reperti tamen, qui præmio ac periculo pariter ſe offerrent; ſive ſpe veniæ apud noſtros, vel quod fidei aut inopiæ magnitudo contemptum pœnæ induxerit. Sed plurimorum conatus, dum in eo ſunt, metu interrupti. Gregarius tamen aſtu excelluit. Is gente Anglus, animo ſollers ac interritus, cohortis Corradini, claro die, Hagenſi e porta progreſſus,

gladio

gladio accinctus ac pera, in proximis agris, radices, rapa aliaque legere visus, fistulis suorum, quis glandes non inditæ, in speciem in eum explosis, a nostris, ac si Auriaci partes sequeretur, exceptus est. qui mox castra perlapsus Risebergam tandem pervenit, traditis Ferdinando quas a Fordinio acceperat litteris; quibus repetitas preces, consilia pellendi hostis, fidem suam ac suorum, aliaque ex spe aut metu intenderat. Aliæ tamen mox interceptæ; „ pari fere ac hoc argumento; Principis sui litteris „ ejusque cura ac jussu se lætatum. De sua vero „ constantia & alacritate ne vel minimum dubitaret. „ quam quod non in ostentationem referre, ut alii, „ sed mala inter, & hostibus coram, probare jam pos- „ set, gratissimum accidisse. Nec provocari a se peri- „ cula aut contemni, sed ex animi magnitudine pru- „ denter æstimari. Ac, licet metuendus ipse hosti- „ bus vix sit, a pluribus, quæ necessaria, defectus, non „ tamen se eum aut adversa metuere. Quippe ita „ sibi imbutum animum, ut aut liberata urbe super- „ esse, aut ante deditam (quod tamen fata haud sive- „ rint) mori decreverit. Nec jactantis hæc verba esse; „ sed ex virtute Principis sui robur ac fiduciam spei, „ ex credito sibi munere conscientiam recti ac perti- „ naciam, se hausisse. Cæterum idoneam irruptioni „ viam sibi visam, qua Bavelam aut Teteringam itur, „ invalido illic hoste, & operibus castrorum non, ut „ alibi, peractis. Solidam ea ex parte, ac ferendis „ belli machinis humum parem esse. Si vero id con- „ silium probari intelligat, stato die se quoque in ho- „ stes iturum, eandem in oram, aut alio, quo, hosti- „ bus distentis alibi ac divisis, minus negotii singulis „ offeratur. Alia quoque de capto Vandenbroeckio,

& ac-

& acceptis decem ac octo florenorum millibus, quæ nobis memorata, injecerat. Descripta quoque signa, quibus ipse curatas Ferdinandi literas, laterna noctu è turri suspensa, Ferdinandus sibi redditas, majori machina ter excussa, indicaret. Has vero signifero tradiderat, qui, qua erat constantia ac fide, alia Fordinii consilia præsens Ferdinando aperiret. quæ litteris haud inserta, ne illis forte interceptis, secreta rerum panderentur. Cum vero periculo anxius iter abnueret, obtulit se agrestium nonnemo, haud ita ex fide, quam ut discrimina obsessæ urbis subterfugeret. Credidit tamen homini Fordinius, &, si gnaviter rem ageret, insigne præmium & menstruum stipendium addixit. Igitur progressus urbe, litteras statim in abdita projecit, mox Hagæ deprehensus, Comiti Guilielmo earum indicium fecit. Addito; Auriaci partes a se „ præferri. Eam ob rem, paullo ante cœptam obsi- „ dionem, conjugem ac liberos Sylvam Ducis ire „ jussisse. Litteras vero Fordinii prætextui sumptas, „ abjectasque, ut suspicionem ac pœnam præveniret. „ Ad quæ, decretum Fordinio, navium stationem, quæ Heidæ habebat, excitato incendio, prompta jam mille & octingentorum militum manu invadere, quo tempore Hispani in castra irrupturi, distrahendis Auriaci copiis aut consiliis, idque ut Ferdinando ipse exponeret, datum sibi in mandatis, referebat. Unde quibusdam consultum, hominis ministerio uti, clausis iterum Fordinii litteris, quas ad Ferdinandum deferret, & ab hoc acceptas Auriaco traderet; quo hostium conatus ac vota propius cognoscerentur. Tradit Hermannus Hugo, eloquentiæ præclarus inprimis, editum ejus

aſtus exemplum, cum Ambroſius Spinola urbem nuper circumſideret. Quippe fictor doli & locorum peritus litteras Iuſtini Naſſovii ad Principem Mauritium, Mauritii quoque Mansfeldiique ad Iuſtinum acceptas, Spinolæ offerebat. quibus res multæ cognitu utiles aperiebantur. Quippe nonnemo, quo publicum juvaret, agreſtem liberaliter ad ſe pellexit, perſuaſitque caſeo, butyro, tabaco, aliiſque eduliis aut delitiis onuſtus, quaſi Spinolæ caſtra perlapſus, in urbem ſe conferret; oblato ſimul miniſterio, in litteris Iuſtini ad Mauritium curandis; aucto tamen periculi metu, quo aſtus magis tegeretur. Quod factum: &, præterquam quod advectæ merces gratiſſimæ eſſent eſurientibus, fidei de ſe opinionem apud Iuſtinum alioſque invenerat. Acceptis igitur ejus ad Mauritium litteris, Spinolæ perlectas primum ac denuo obſignatas illi tandem tradidit, cui debebantur. Ingens homini præmium Spinola obtulerat, majuſque pollicitus, ſi eadem arte, reſponſum a Mauritio impetratum deferret. Quod ipſum quoque, re ex voto geſta, indeptus, animum ac pertinaciam hoſtium, palam factis quæ incognita hactenus, maxime intenderat. Auriaco diverſa hic ratio, nec aſtu opus, cum res hoſtium turbatæ, & urbis, ſatis intelligerentur. Metus quoque inceſſerat, ne homo incerta fide, ſimili obſequio hoſti oblato, fictis in ſpeciem Ferdinandi litteris traditis, occaſione uſus, veras ad obſeſſos deferret. Cæterum litteræ notis numeriſque impeditæ erant, more jam militiæ recepto, ne interceptæ aut traditæ intelligerentur, ſolis earum gnaris, ad quos deſtinabantur. Conſtantinus tamen Hugenius, Zuylichemi dominio & cognomento

auctus,

auctus, quidquid in iis reconditum interpretando aperuit. qui a pueritia eductus in ſpem fortunæ, quam accepit, florentibus jam annis, peritia rerum, & arcanis conſiliis Auriaco probatus, ſapientiæ quoque & humanitatis cultu inter omnes æſtimatur. quæ rara in aulicis ſtudia, & ideo fama major. Tum quoque Princeps Pepolorum Cantelmus Iacobus, domo Neapolitanus, eluſis noſtrorum cuſtodiis, in urbem evaſit. qui admodum juvenis, ardore ætatis aut gloria impulſus, exſerendæ virtuti, obſeſſæ urbis periculo uti geſtiebat; magnitudine rerum ac animi inter ardua ſemper æſtimata. Vultu igitur & habitu mutato, ne agnoſceretur, comite militiæ operum inter hoſtes architecto, caſtris Auriaci luſtratis, mox ad obſeſſos ſe contulit, magna omnium lætitia exceptus. Thomas tamen Sabaudorum Ducis frater, incertus de eventu, & pendens animi, litteris ad Guilielmum Naſſovium obnixè petierat, ut miſſo Bredam tibicine in adventum ejus inquireret, ſeque redderet certiorem. Quod indulgentia Auriaci permiſſum, rati, hoſtibus, ubi comitatis tantum officia expetuntur, nullo in publicum damno, haud quidquam abnuendum. Rettulit ille, Cantelmum Bredam ſoſpitem veniſſe; mandatis a Ferdinando acceptis, ut deficiente Fordinio rerum ipſe inter obſeſſos potiretur, ſublata æmulatione, qua ubi ſucceſſor in incerto eſt, ducibus domi commiſſis omnia foris negliguntur. Inter quæ noſtri, laboris pari conſtantia & continuatis vigiliis, hoſtes terruere quo minus pugnam auderent. Namque, prout alia ac alia ſpargebantur, auctis mutatiſque ſtationibus, operibus caſtrorum paſſim proſpiciebatur; illis præſer-

tim, quæ neglecta, cætera in exitium trahebant. Unde diffidentia inter hostes, quorum cœpta metus initio turbaverat; & nunc ambitione velut in se conversi, cupiebant aut detrectabant singuli, quidquid omnium erat. Tum quoque annonæ caritate, & aquæ penuria inter gregarios laboratum, aucto inter eos æstimatoque malo, quo plura luxu ducum absumebantur. qui ludere & castrorum delitiis frui, tanquam militia bene gesta, & desides agere, velut hostibus amotis. Et qui optima suaserant, dilati primo, postremo contemnebantur. Nisi quod injuncta sæpe, quæ exsequi non licebat, effluxu temporis, in quo solo consiliorum omnium ratio constabat. Conclamatis vero rebus, diversis adhuc animorum motibus agebatur; existimantibus nonnullis, tentandum saltem Auriacum, quo fidei fama in vulgus quæreretur; contra sentientibus aliis, adversum spem nil audendum, &, si successus desit, ludibrium apud hostes, atque odium inter suos augeri. Quo factum, ut, quod postremum est, consiliis turbatis, omnes rejecta in alios culpa, laudare propria, & aliena traducere contenderint. Quæ inter Belgas inprimis & Hispanos militiæ duces non tantum in castris, sed domi etiam, inter diversæ factionis homines, certamina gliscebant: aliis, Belgarum consilia ac fidem, cum Hispanorum odio; nonnullis, horum fida obsequia, inter contumaciam & insidias aliorum, corrumpi aut postponi, divisis studiis & magno animorum motu, ut alias quoque, adfirmantibus. Quanquam enim Regem eundem utrique ac caussam, non tamen eadem consilia agnoscebant. Sive quod Hispanorum non tanta hujus

militiæ

militiæ ac rerum ſcientia, quanta auctoritas; ſive quod, ob Belgarum quorundam nuperas defectiones, nihil eorum, quanquam optima ſuadentium, conſiliis permittendum, Hiſpanis ſederet. Nam inter hæc per Brabantiam libelli ſparſi & vulgati, in quis velut infelicitatis publicæ ac Bredæ jam amittendæ ſoli autores & in Regem iniqui & adverſum recta conſilia contumaces Belgarum duces deferebantur. Ad iſta Henrici Bergii, Comitis, & ſupremi nuper militiæ Regiæ imperatoris, defectio, clandeſtinæ inſidiæ, &, quæ eas exceperant immenſæ clades, multa cum acerbitate & aliorum odio tum quoque repetita. Quæ res admonet, ut inſtituti operis cauſſa, quicquid ejus rei eſt, paullo altius & breviter tamen ediſſeram. Bergius, ſummis belli muniis & ſervandæ Gelriæ, qua Hiſpano paret, præpoſitus, quadraginta jam annorum obſequiis ſtudia ac fidem Regi probaverat; rationibus belli, ad obtinendam aliquando Belgarum pacem, aut felicius gerendum, ſemper compoſitis; diverſas inter Hiſpanorum ſpes; qui trahi arma & clades, commodis Regis ac gentis poſtpoſitis, ſuæ tantum utilitatis cauſa malebant. Cum pertinacia eorum ac inſcitia ſingulis pene expeditionibus commiſſus, ubi jam velut infidus & hoſtium rebus addictior proſcinderetur, erupturis in præſens vitæ ac fortunarum diſcrimen inſidiis, ſtatione relicta, ad Leodios, qui neutrarum, ut alias rettuli, partium, deinde Herenbergam, avitum peculium, converſus, adverſariorum criminationibus ac exitio ante quinquennium ſe ſubduxerat. Editæ tum ab eo litteræ, quibus Regis militem (Hiſpanis tantum exceptis) ad partes & conſilia ſua amplectenda, ut

quæ Regi ac Belgis profutura, haud mutata in eos fide, magnifice & palam invitaverat. Sed & alias ad Isabellam Eugeniam, Belgarum Principem, & Brabantiæ Ordines, tum dederat, in quîs, magna » animi & verborum constantia, testabatur; Ut » Hispanis nihil antiquius quam subvertere publi- » cam fortunam, ita nihil sibi promptitudine ob- » sequii ac fide. Sed vero hæc propter, unum se atro- » cissimis accusationibus nunc peti; sui unius exi- » tium primo, dein cæterorum, Hispanos jam pridem » meditari. Quorum consilia ex tot annorum & re- » rum improspero eventu tam certum sit impin- » gere in Regis ac Belgarum securitatem, quam in- » dubitatum apud integros, sua, vel ea tantum de » caussa, illis fuisse adversa. Ac proinde se cessisse, tu- » tioribus occasionibus, quis Rempub. & afflictas » Belgarum res demereri possit, imminentem. Nec » id crimini sibi verterent, post tot aliorum exempla, » quorum innocentia, iniquitate ac potentia subdolæ » factionis fuerit oppressa. Haud tamen ideo minus sententia in absentem lata est; qua læsæ reus majestatis ac perduellionis postulabatur, calamitatum omnium caussa, veterum, Grollæ, Sylvæducis, Vesaliæque, recentiorum, Venloæ, Ruremondæ ac Trajecti ad Mosam, Regi ereptarum, in unum transcripta & unius capite expianda. Adversum quæ „ ille; Repeti Tiberianorum temporum gravem o- „ lim Romanis & innocentum exitio repertam ini- „ quitatem, cum omnium accusationum complemen- „ tum esset crimen Majestatis; & unicum crimen „ eorum qui crimine vacarent. Inspicerent fas om- „ ne gentium, per quod sine dolo & proposito læden- „ di principis, ac sine animo hostili, nemo impingit

in

in majestatem. Quæ ecquis sibi merito objectaret, »
ab eventu aliquando quidem destituto, ob aliorum »
potius consilia quam sua, nunquam autem a fide? »
Quod Sylvæducis obsidio haud depulsa, cur sibi »
imputarent? Omnibus votis ac precibus se con- »
tendisse, ut ea provincia in Carolum Columbam »
transferretur. Sed eam Hispanorum indolem esse, »
ut ubi cum delati muneris gloria summa pericula »
conjuncta sunt, desinant esse ambitiosi. Ardua igi- »
tur sibi relicta, & quæ efficere integrum non erat. »
Nam annonam militarem, aliaque, duorum pene »
mensium spatio a cœpta obsidione jam exacto, »
vix fuisse ad manum; castris Auriaci adeo interea »
obfirmatis & incinctis, ut perrumpere non liceret. »
Id igitur inopiæ Reipub. aut ignaviæ aliorum, non »
suum crimen esse. Autorem expeditionis in Veluæ »
agrum hostilem, cis Isalam raptim susceptæ, fuisse, »
nec diffiteri. Utile tum consilium & haud dubie »
distrahendis hostibus profuturum, nisi Vesalia »
tum intercepta, non sua, sed Francisci Losanii præ- »
fecti culpa, haud satis provisis quæ poterat & debe- »
bat. Et jam capitis supplicio expiasse. Grollam »
quo minus disjectis obsidentibus tueri potuerit, »
dissidiis legionum evenisse, de loco ducendi ag- »
minis inter sese contendentium. Eas ad meliora »
consilia inclinare se vel maxime conatum, sed non »
tantum obsequii in suis fuisse, quantum in se au- »
toritatis. Ac proinde licet haud publico, fidei ta- »
men hic quoque abunde satisfactum. Venloæ ac »
Ruremondæ jactura frustra nimis se urgeri. Si enim »
toties a se flagitata auxilia submissa, si vel modico »
etiam, quod erat, præsidio nihil esset detractum, »
nihil Rempub. desideraturam. Cæterum ab His- »
panis

» panis eam postponi, modo e fastigio, quod af-
» fectant ipsi, & publica gratia dejiciant eos, quos
» virtutis tantum causa oderunt. quod quousque li-
» cebit, inter suorum consilia ac ambitionem distrac-
» tam Remp., velut nervis incisis, funditus tandem
» perituram. Cur enim loci, cur gentis Belgarum ac
» militiæ ignari, supremis bellorum muneribus im-
» ponerentur? Cur impositi, Belgas, quorum tot ima-
» gines majorum ac merita, quorum industria & in-
» nocentia longè major, peritos locorum & patriæ
» gnaros, ac ideo consiliis meliores, ab eorum usu ac
» fructu depellerent? Cur tandem depulsi, impo-
» tentis aliorum animi consiliique culpam ac clades
» præstarent? Ita denique animo suo sedisse semper,
» & sedere, Hispanos, quamdiu impositi militiæ re-
» bus, publicis malis pro se & cum exitio Belgarum,
» quos eorum auctores falsò fingunt, semper usuros.
Hæc ego, aliaque, in Commentariis ab ipso Bergio scriptis repperi; quibus vitam ac casus suos & suorum, suæ ac Belgarum fidei contra Hispanos tuendæ caussa, breviter memoravit. Et quia haud vulgata, paucisque visa, huc rettuli. Nam odia eadem ac simultates inter primos castrorum legatos nunc quoque exarserant. Hispani enim suum militiæ * consessum, sua tantum consilia, exclusis aliis aut clam subversis, sequebantur: Belgæ, acceptis licet titulis illustrium dignitatum ac stipendiis, specie tantum aut discrimine honorum usi, vim amiserant. Ac ideo in commune, ut vix alias, ne nunc quidem consultum. Quare interceptis tunc litte-
» ris ipsi testabantur; Nil rerum a se geri, sed vim
» hostium audiri tantum & spectari. Plerosque gestis
» in famam suam efferri; & irruptionem inter po-
cula

* Iunta Hispani vocant.

cula meditari. Animos militi non deesse, sed du- »
ces; contemni hostem, & timeri; nec tam deesse »
consilia, quam mutari. Egregium, scilicet, faci- »
mus; ad primum ab hoste lapidem castra figere. »
nec hactenus ultra iri. Non jam liberari a se Bre- »
dam, sed obsideri. Ignavia & adulatione ducum »
mala consilia Ferdinando offerri, & imputari. Ca- »
lere in contuberniis fritillum, & alea belli non ten- »
tata perditam Bredam iri. A bonis defleri mala; »
a quis præveniri aut corrigi poterant, non æstima- »
ri; immodestia luxus ostentando animo, aut in »
solatium usurpata. Sed majorem militum vim bre- »
vi adfuturam. At vero quid istis opus, si eorum, »
quos habeant, ministerio & animis non utantur? »
Eo necessitatis jam ventum, ut aqua desit, & obla- »
tam ingenti pretio redimi. Plures castrensi morbo »
tentari, aut extingui. Unde mors ingloria, & in- »
visa illis vita, qui arma & vulnera inter hostes, aut »
excessum mallent. Nil enim, præter ignaviam, »
militare vulgus aversari. Atrociora quoque alii fal- »
se, & cum odio loquebantur. Caussa inopiæ, quod
Auriaci jussu agrestibus inhibitum, quidquam in
victum aut alios usus ad castra hostium deferre. Et
magnitudine indictæ pœnæ omnes territi; obequi-
tantibus quaquaversum, qui contra ausuros obser-
varent; vehiculis, & commeatu subinde intercep-
tis. Ad quæ, Patrum quoque autoritas intervene-
rat, quorum edicto annonam proximis è civitati-
bus in agrum evehere, gravi in contumaces suppli-
cio, vetabatur. Quanquam agrestes nonnunquam
custodias fefellerint, gens haud minus callida, cum
spe lucri, aut necessitate urgentur. Plerique enim
annonam aliis miscuerant, quæ exportare inte-

L grum

grum erat; loculis, quîs cadavera induntur, eâdem impletis. Quod ubi cognitum, majori cum cura actum, & in singula inquirebatur. Vnde penuria aut caritas omnium inter hostes, gregariis maxime afflictis, quorum stipendia modica, vel differebantur. Tum Ferdinandus, convocatis præfectis, vultu
» in spem composito, disseruisse fertur; Officio hic
» quidem, sed nondum públìco, satisfactum. Castris
» Auriaci adversum vim firmatis, alibi potius quam
» ad Bredam solvi obsidionem ejus oportere. Aut si
» pertinacia indurati hostes perdere occupata malint,
» quam deserere quod oppugnatur, victoriam eo-
» rum, si fors ferat, in cladem ipsis, & obsidionem
» sibi majorum occasionem offerri. Si feliciter tan-
» tum, parum interesse ubi bellum administretur.
» Nec referre si Breda dedatur, modo, dum oppug-
» natur, amissæ damnum majoribus acceptis post-
» poni queat aut pensari. Has curas sibi nunc, hunc
» animum esse. Proin itineri quæ necessaria adorna-
» rent. Iturum quo consilium aut fortuna vocave-
» rint. Nec enim unum esse quod gloriæ offertur;
» &, quo ab hoste remotiores, plura facturos. Quæ adsensu omnium audita, cum præsentia deflere magis quam præferre liceret. Igitur tentoriis subversis, extemplo castra deseruere, in ulteriora Brabantiæ profecti. Inter quæ solitis de curis nihil Auriacus intermisit, cum intelligeret, fugam sæpe a reversuris præter exspectationem adornari. Et, conspectis flammis, non tam deserere fortunam, quam in aliam stationem, forsan Teteringam, ire credebantur. Quare excubiæ istic & præsidia militum aucta. Cæterum, postquam promoto sensim itinere alia Hispanos meditari intellectum, missæ ex-

templo

templo peditum viginti & ſeptem, equitum cohortes octo, queis Wijnbergio, Alardo, Randtwickio & Harcourtio ducentibus, eorum conatus eluderentur. Iuſſo, ut Pinſio, tribuno, qui aliam ma- „ num trahebat. ſe jungerent, ejuſque, ut ſupremi, „ auctoritatem agnoſcerent. ut Graviæ inprimis, „ Heuſdæ & Hemerſwaertæ rationem haberent „ ac curam. iter, ut ſuum hoſtes, mutarent. clam; „ & quovis pacto, conſilia eorum explorarent: de- „ nique, viderent, ne quid Reſpub. caperet detrimen- „ ti. quo quidvis imperatum. Nam conſilia ducum „ intra ſuos limites conſtringere vix tutum, ubi incerti hoſtium conatus, & ipſi melius conſuluntur. Sed & curam id incendit, dum quibuſcunque providendis impoſiti rationis omnium reddendæ ac fidei monebantur. Namque cognitum, mandati limites ſæpe etiam induſtriæ eſſe; & hanc, intra hos non conſtrictam, ulterius aliquando extendi. Inter quæ obſidendæ Graviæ metum auxerant duæ peditum legiones, mille equitum manu addita, ad pontem, Gennepam propter, Moſæ impoſitum; quo eo facile ibatur, à Ferdinando ſe feſtinatis itineribus conferre juſſæ. Quare, Auriaci mandatu, Staeckenbroeckius legiones equitum ſex; quarum turmæ duæ ſupra quadraginta, eò etiam, & ſtatim, traxit. At vero nec illud hoſtes agitabant, conſiliis in alia converſis. Facta tum Auriaco per litteras Cardinalis Richelii ſpes, & concepta, futurum, ut memorabile facinus, urbe in hoſtico alibi obſeſſa, brevi Galli auderent. Sed haud quidquam effectum, cum hactenus prompta magis conſilia eſſent, quam occaſiones. Et hæ quoque inter varia, quæ deliberantibus oblata, aliquando corruptæ.

Legionum igitur Hiſpanarum tantum una, quam Cantelmus Andreas ducebat, miſſa eſt augendis Balanſonii copiis, qui inter Hannones & vicino in tractu, cum modicis admodum, leves ac incondi-tas Gallorum excurſiones prohibebat, viribus con-ſiliiſque in Fœderatos potiſſimum converſis. Et va-ria meditabantur. Nam conatus ſuorum præcipue tum Iacobus Roſa incendit, qui ortu humilis, pe-ritus tamen obſequii & rerum, ſumma integraque auctoritate inter ſuos utebatur. Ille adſiduus Prin-cipi; ad eum omnes domi militiæque confluere; ſua uni probare; miniſtri etiam ejus ac janitores ſuſpici, coli. Ad maxima enim provectus, & cu-randis ſanctioris Concilii rationibus impoſitus, ac primo ejus loco, vim quoque imperii obtinuerat; non ſuſpectus, quod rarum, Hiſpanorum genti, cujus ambitionem Belgarum ſecuritati ſemper an-teponeret. Unde tantus apud Principem favor, quantum in vulgo odium. Igitur ſi togæ aut mili-tiæ dignitates plurium ambitu peterentur, unius gratia valebat. quam tamen vix quiſquam niſi me-
„ ritis obtineret. Ille hortari candidatos; Ut nova &
„ magna auderent. Virtute, inſidiis, quovis miniſte-
„ rio, laborante Republ. in hoſtem nunc opus eſſe.
„ Deſpicerent ſingula, conſilia ad Principem defer-
„ rent; quæ ſi probata, & exſequerentur, præmia vir-
„ tuti & honores non defutura. Ita impulſo accen-ſoque milite multa agitabantur. quorum vana quædam, & irrita eventu, alia inter conſilia aucto-reſque periere. Haud procul Bommelia, Gelriæ oppido, abeſt Vorna inſula, trecentorum & quin-quaginta ferme jugerum ſpatio, Bommelwartæ ſu-periori oræ oppoſita, ubi Moſa & Rheni elix Va-

halis

halis conjuncti dispescuntur. Excipitur insula majori, quæ, ut illa, ab eorundem fluminum complexu nomen accepit. Sub initia civilium bellorum, castellum hic, Nassovium vulgo dictum, Fœderati condidere. quo Bommeliæ, Tilowartæ atque ita inferiori Betaviæ, in quis multum positum, consuleretur. Id initio modicum, majus postea robur accepit, eâ potissimum tempestate, quâ Andreas Austrius, fratre Alberto in Hispaniam profecto, rerum inter Belgas potiebatur. cum Franciscus Mendosa, præfectus Arragonum mari, Sapenæ, Bourlotti, Alfonsi Avoli, Caroli Columnæ, aliorumque legionibus usus, eam invadere contendit. Sed provida Mauritii cura, & celeritate hostium major, eorum conatus propere obtriverat. Accessit anno hujus sæculi primo, præsidio ejus castellum opere validum; ab Andrea Austrio conditum, ejusque vocabulo appellatum; a Mauritio mox captum; & Fœderatorum milite tenetur. Situm illud Vornam propter, Bommeliamque, loco angusto, ubi Mosæ & Vahalis ambitus insulam fecere. Quinque magnæ molis propugnacula in orbem prætexuntur; quorum tria Mosæ atq; Vahalis alveo; duo Harwardenæ objiciuntur. Huc hostes jam vim aut insidias convertere, & de Vorna primò agebatur. Auctor diu meditati consilii Hermannus Pollio, vicino in tractu nobili è familia natus, erat. Is, ut quidam rettulere, Fœderatorum partes sequutus, mox crimini illigatus, defectionem pœnæ aut veniæ antehabuit. Et militiæ studia sequutus pertinaciam fidei virtute commendavit. Quare Centurionis accepta dignitate, Gennepæ municipio Gelriæ amænissimo, & arce valido,

cum cæteris præſidio erat. Ingenio igitur ſuo ac loci utebatur; cognitis viarum ductibus & patriæ munimentis. Callide vero menſes ante aliquot ea occœperat, quæ nunc uſui forent. Nam cymbas aliquot agreſtium circumpoſitis in locis nactus flumini immerſerat, queis Vahali tramiſſo ad inſulam penetraret. Scalæ quoque novæ artis ab eo condi juſſæ, quibus, cum duo graduum utroque ex latere conjuncti ordines eſſent, plures ſimul, vallo conſcenſo, exponebantur. Quibus in tempore proviſis, jubente Ferdinando, ſexcentorum manu deſtinata eſt ingreſſus, ſingulis eorum ſclopo armatis. Decem quibuſque præfecti ſui erant; centuriones fere, aut paullo minoris dignitatis: ut plurium experientia ac auctoritate anceps adeo cœptum promoveretur. Et promptior obſequio miles eſt, cum, qui honores gerunt, periculis etiam offeruntur. Ita vero ordinata ſingulorum munia, ut iidem qui imperium in ſuos, in majores obſequium præferrent. quo factum, ut omnium juſſa ad unius auctoritatem ſe componerent. Præſtonius, ingens animo ac manu, & iccirco curandæ Gennepæ præfectus, mille & ſeptingentos, tractis ſimul aliquot campeſtribus tormentis, juvandis primis ducebat. Iohannes Braeckelius Vornam tum ſervabat, illuſtri genere ac eadem militiæ fama. qui cum de hoſtium conatu varia & incerta acciperet, & mota caſtra conſtaret, non negligens ſui aut curæ erat. Is diſtribuere inter militem ac cives quidquid ex uſu foret; noctes aliquot, omnes in armis habere; vigilare; circumire; exquirere ex advenis; mittere exploratores; denique ſingulorum virtutem poſcere ac fidem. Inter quæ Walterus Dynſla-

kius,

kius, gregarius hoſtium, ad noſtros flexit, Vornamque appulſus arcana Pollionis conſilia patefecit. Quid defectionem ejus impulerit, parum conſtat. Traditum quibuſdam, gratificari noſtris voluiſſe, cum merita, ſuis quantumvis agnita, præmio deſtituerentur. Nec dubium, virtutem, ubi decora, excludi aut transferri: præſertim ubi erectus eſt animus, qui non tam odit, quam, donec commodum differt aut alio convertit bonas artes, infra aliorum qui ignavi ſunt titulos depreſſas. Alii exceptum vile Centurionis, & motum rei indignitate, retulere. Namque ei, quoniam arcanorum conſcius, prodendo vindictæ conſulere licebat. Ego neutrum temere addixerim; nec cum injuria Annalium quantulacunque iſta tranſmiſerim, rerum præcipua certò ſequutus. Et minus fidei eos ferè mereri deprehendi, qui ſingula nimis anxie perſequuntur. Ab eo igitur, Braekelio indicatum, Pol- » lionem ac Præſtonium Moſam inter ac Vahalim va- » lida cum manu conſediſſe. Vornam cogitari. Ad » caput inſulæ, qua ædes, quibus a veteri trajectu no- » men eſt, primo irrupturos. Scalas utrique portæ » lateri applicandas eâ captâ in arcem Buranam Tie- » lamque conſilia ferri. proxime elapsâ nocte aggreſ- » ſuros fuiſſe, ſed vi imbrium impeditos. nonam in- » ter & decimam veſperæ auſuros, excitato quaqua- » verſum tumultu: & diſtractis noſtris, pontem portæ, » qua in agrum itur, impetere; cymbis imponere » tympanotribas, quibus flumine devectis, in ſpeciem » copiæ augerentur, conſultum; aliaque ex vero me- » morabat. Optionis ſervulus clam omnia indicaverat, parum celatis quæ non niſi poſt eventum cognoſci debuerant. Braeckelius nuncio lætus,

vera

vera credidit quæcunque neglecta nocerent. In custodiis tamen habuit Dijnslakium, ut si prodita contra eventum essent, supplicio mendacium expiaret. Poterat enim missus videri, ut, quo securiores cæteri essent, in quos ire licebat, a consiliis diversa referret. Nihil tamen inter hæc non provisum. Flagitata militum subsidia ab eo, qui Andreanum castellum tunc tenebat. quæ negare tamen visum, non tam quo alteri haud prodesset, » sed ne ipse forte laboraret; addito; Posse se peti, » & Vornam prætendi. Fallere hostem, & distrahere » primas bellorum partes censeri. Sua cuique credi» ta, & defendi oportere. Vagari hostes ante expe» rimentum, non aliud esse quam si omnia tenta» rent. Impetum optime sisti, qui exspectatur. Om» nium esse, quidquid singulis nondum evenit. Alios » juvare, ubi adversi in proximo, quid aliud quam se » deserere? Id sæpe cognitum hostibus, & vel hanc » tantum ob caussam consilia eorum verti. Ob» versari exempla. Evenisse aliis, quod sibi nollet. » Satis Braeckelio virium; &, si quid desit, pruden» tia suppleri. quippe conatus hostium obtrivisse, » qui arcana consiliorum accepit. Itaque spe lapsus ad alia se convertit. Ire jussus, qui stationem hostium exploraret; & reversus, Mosam inter ac Vahalim, inter cohortalium avium stabulum consedisse asserebat. Emissi septem sclopis armati sub vesperæ crepusculum, qui, si qui ingruerent, raptim indicarent. Noctis fere concubium erat, cum intellecto hostium adventu, & fistulis indicio facto, extimi vigilum mœnia propter pedem retulere. E quibus & bellica navi, quæ flumini imposita, machinæ nostrorum detonuere. Igitur hostibus, non

tentato

tentato castello, consilium fugæ placuit; palam factis, quæ cognita exsequi non licebat. Cæsi eorum tres. Cymbæ totidem, & scalæ duæ interceptæ: quæ in publico suspensæ, elusi conatus monumentum spectantur. Stupra ac raptus inter agrestes fugientibus placuere; quibus, adversum viros nil ausis, in desertos ac inermes conversis, vindictæ cupido, & ira, flagitium fuit. Altius id tamen Ferdinandi animum penetravit, quia magna, quorum spem amiserat, nec alia se offerrent, ex quîs disparem fortunam exspectaret. Ipse vulgi quoque sermonibus tum lacerari; & dum adversa omnia, singuli proscindebantur; ea plebis indole, ut sæpe caussam, quamvis primores tegant, ipsa intelligat, aut odio in dominantes fingat, quam non accepit. Sed proceres quoque eodem animo non agebant; &, dum quisque sibi consulit, alii, ut paullo antè, deserta ad Bredam statione, malorum auctores ferebantur. Adeo ut odio & invidiæ Maria Medicæa, Regum Galliæ uxor olim, nunc mater, a suspicacibus quoque exponeretur. Illa cum filio commissa domi, relicta Gallia Brabantiam prætulerat. Ubi, quandiu Isabella Clara superstes; Alberti Austrii vidua, pro majestate erat; mox, rerum potiente Ferdinando, haud quidem contempta, sed vulgi odio vexabatur: Ad Sylvam igitur Soniam, aliasque in amœnitatem agro instructas arces cum aulicis progressa, prodere arcana rerum & referre ad hostem ferebatur. Quare, & aliàs ob caussas, in Hollandiam, dein Angliam, relicta Brabantia, se convertit. Ubi defensionem sui publicis litteris vulgavit. Quæ alibi memoranda, ne proposita prævertamus. Ac res hostium, ne nostræ

dividantur, eadem ſerie pertexemus. Nam in Venloam ac Ruremundam, Gelriæ oppida, mox ſunt converſi. Eſt ea Belgii ditio ſpatio & urbibus ampliſſima, in partes quatuor tributa, Neomagi, Ruremundæ, Zutphanii, & Arnhemii, primarum urbium, acceptis cognomentis. De cæteris, quæ ipſo belli initio, aut poſt paullo Fœderatorum partes ſequutæ, nunc non dicemus. Ruremunda ad Roram, ex Iuliacis labentem, unde nomen, & Moſam, confluentes poſita, amœnitate ſitus & civium frequentia urbs nobilis, Gelram, Venloam, Stralenam, Wachtendonckium, Montfortium, Erckelenam, majora, aliaque modica oppida, ſuâ ditione complectitur. Venloa ad tertium fere lapidem Ruremunda, Moſæ amnis ripæ adſtructa, diſtat; frumenti, picis, aliarumque rerum mercatu, & nautarum, Moſam ultro citroque navigantium, appulſu inprimis clara. Nec minor ei a bello, & conſtantia civium ac virtute, fama; jam ante ſæculum Margaretæ, Caroli Cæſaris amitæ, obſidione repreſſa; nec admiſſo ipſo Carolo, quamquam numeroſis copiis & proſperrimarum rerum gloria uſo, priuſquam in æquiſſima ſibi totique Gelriæ pacta conſentiret. Civilium inter bellorum motus, varios experta caſus, anno ſæculi hujus ſecundo ſupra trigeſimum, poſt unius aut alterius diei obſidium, & mox Ruremunda, Auriaco ceſſerant. Eas, & Hiſpanorum Gelriam, Henricus Bergius, ſed fruſtra, tum ſervabat, per iniqua in eum aut inprovida aliorum conſilia juſtis præſidiis negatis vel ſubtractis. Hermannus Bergius, ejuſdem filius, cum nuper conſcripta legione, cujus pars Gelriæ tuendæ, juſſu Iſabellæ, deſtinata, in Palatinatum

Germa-

Germaniæ ire jussus est, præter compositæ militiæ morem, quo veteranis in expeditiones assumptis, tironum curæ urbium præsidia committuntur. Et, ut sæpe alias, sustentandis Austriacorum in Germania rebus, Belgium deserebatur. Tum quoque legio Marchionis S. Angeli, quæ Ruremundæ agebat ac Weerdæ, alio est conversa; vacuo jam illo tractu, & nullo milite post suffecto. Accedebat, quod, quamquam autoritate Marchionis S. Crucis legionum quinque, Ludovici Ponti Leonini, Alfonsi Ladronii, Caroli Romæ, Comitis Fresini, & denique Ribaucourtii, usus Bergio initio permitteretur, mox tamen, Auriaco jam imminente, eam, quæ Ponti Leonini ductum agnoscebat, ad se traxerit. Et Ribaucourtii, ut Trajectum ad Mosam se conferret, imperatum: unde paullo post Rhenobercam, petente tribuno Diestorfio, contendit; duabus cohortibus, quæ Ruremundam missæ, exceptis. Nec multo post Ladronii, Fresini, & Romæ legiones è Gelria excitæ; obnitente admodum Bergio, qui Auriaci adventum, quamquam dubius adhuc & incertus, provide metuebat. Sed frustra; cum Iosephus Rugerus, cui id negotii datum, suprema Marchionis mandata maxime urgeret, adeo ut negare eas integrum non esset. Vel ideo inprimis, quod Auriaco è Mockeræ ericetis, ubi castra ejus jam ac stationes, alio etiam & in Brabantiam liceret deflectere. Nec silentio transmiserim, litteras Marchionis S. Crucis ad Bergium, & mandata, sensu & verbis adeo fuisse impedita, ut, quid agendum vel non agendum, vix constaret. quasi de industria id agentibus Hispanis, ut quicquid tandem Bergius abnueret, admitteretve, per-

fidiæ aut contumaciæ postulatus, tandem subverteretur. qui jam, velut derelictus ac destitutus, Venloæ tuendæ spe deposita, Gelram, ejusdem tractus urbem munitissimam, se recepit: eo animo, ut obsidione cinctam quavis ratione tueretur. Quanquam monente Isabella, ne se, cujus alibi major usus, intra unius urbis angustias claudi pateretur. Quæ, ab autoribus annalium hactenus haud prodita, prætermittere nolui, ipsius Bergii scripturas ac fidem secutus. Igitur Auriacus Venloam primo, dein Ruremundam, pene ut vacuas, invasit, nullo suorum damno accepto. Nisi quod Ernestus Nassovius, post Imperatorem primus castrorum Legatus, & Frisiæ præpositus, dum opera hostium propius explorat, infelici ictu prostratus, vitam cum morte commutarit, magno Fœderatorum luctu. à quis inusitata ejus virtus & consiliorum magnitudo, & providentia inprimis, inter prospera aut adversa, laudabantur. Cæterum Ferdinandus, hactenus inter diversa anceps animi, tandem huc vertit, castris primo ad Venloam dispositis. Servabat tunc eam Nicolaus Brederodius (patre notho familiæ inter Batavos nobilissimæ genitus) & cohortium decem ac quinque præsidio utebatur. quarum nonnullæ, negligentia centurionum, quadraginta, aliæ quædam quinquaginta modo militum numero censebantur. Aberant tum quoque ducum ac optionum plerique: adeo, ut, promptioris imperii caussa, sub vexilla quinque, ac totidem centuriones, militum, qui vix supra mille erant, manus tribueretur. Verum ex eo minus obsequii, dum suis tantum hactenus usi, nec centuriones, nec milites, ingenio regundi aut

parendi diſpares, agnoſcebantur. Itaque plures deſiderati, cum opera majora duo, cornuum, ſeptem, dimidiatæ lunæ ſpecie, præter alia extra urbem, tuenda ſe offerrent. Quæ propter conſultum, ut externis munitionibus militi relictis, mœnia urbis armati cives inſiderent, propugnaculo * tamen ac portarum una, in quîs momenti plurimum, exceptis. Inter quæ Hiſpani operum ductu urbis munimenta propius ſubiere, inter denſiſſimas nebulas, quæ ſubito exortæ, & aliquamdiu cœlum texerant, vix conſpecti, ideoque haud impediti. Dies ab obſidionis primo quartus jam illuxerat, cum e † ſuggeſtibus ſeptem, circumcirca poſitis, magna tormentorum vi, & mox incendio, tecta urbis vexarentur. Unde civium motus; haud dubiè eos impellentibus, qui, partis ac religionis adverſæ, Fœderatorum imperium ac indulgentiam inviti agnoſcebant. Sane conſtat, Romanis quendam ſacris initiatum, circumvolitantem forum, & occaſionem amplexum ac cives, editâ voce & ſæpe repetitâ, cum multa noſtrorum invidia teſtatum; Hunc ultimum, vellent modo cives, „ ſervitutis ſuæ diem, & primum libertatis. In proxi- „ mo vim amicorum adſpicerent ac ſigna. In alios „ obſequia exuerent & coactam fidem. Et, hercle, „ auderent tantum, nullo jam pœnæ aut diſcriminis „ metu. Propulſandis hoſtibus, & tuendis domi re- „ bus, imparem eſſe militum manum. Ferrum igi- „ tur ac forum raptim occuparent. Id in ſuos ſtrin- „ gerent, nî facerent deditionem. Denique adſpi- „ cerent diſtrictam incendiis urbem, & prævenirent „ imminentem ejus ruinam. Vnum hoc remedium „ adferri. Vi enim Hiſpanos impreſſionem jam fac- „

* Bolwers, Bolwerck.

† Batteries.

„ turos. Et ab impetu ac ardore pugnæ raptis inter
„ ſuos & adverſos diſcrimina nequidquam exſpectari. Unde gravior motus, & in momenta ſingula provectus. Sive creſcente malo ac majoris metu; ſive quod Brederodius vim auctoritatis amiſerit. Et inter tot domi ac foris, & inexſpectata mala; ſæpe etiam optimorum conſilia non ſtatim adſunt, aut corrumpuntur. Primò ſequioris ſexus quædam ſupplices Brederodium convenire, mox plures: &, ut fœcunda ejuſmodi exempla ſunt, omnes tandem confluere & deditionem non jam poſcere, ſed minis eâdem omnium contumaciâ extorquere.
„ Adverſum quæ ille; Deſinerent turbarum. quis
„ recta obſequia & imperantium auctoritas corrum-
„ puntur. Ordine agendum, &, ſi quid vellent, miſſis
„ è Magiſtratu legatis, preces ſuas ac deſideria expo-
„ nerent. Nihil eorum quæ juſta, ſe abnuere. Sed
„ ita habendam ſecuritatis civium rationem, ut pu-
„ blicum a ſe & fides non negligantur. Quare mox primores è Magiſtratu acceſſerant. Quorum audita legatione, qua imminentis diſcriminis magnitudo & deditionis neceſſitas expoſita, Brederodius
„ excepit; Nihil temere ſibi ſtatuendum; qui ut ſin-
„ gulis, ita publico inprimis velit ſatisfactum. Di-
„ ſtrictam quidem incendiis urbem, ſed ea ipſi ex-
„ tinguerent; ſibi ac militi ferrum ad diſpellendos
„ hoſtes permitterent. Nondum enim deventum ad
„ ultimam neceſſitatem. quam fingere ſibi, imbellis
„ eſſe ac ignavi; ſequi fictam, fidem exuentis; non
„ ſequi oblatam, contumacis. ab hoſtibus denique,
„ ſi ita iniquitas ſortis ferat, non civibus, ad deditio-
„ nem cogendum. Sed creſcentibus flammis, quarum ſpeciem obſcurum noctis adauxerat, cum

acrius

acrius instarent, tandem indultum, ut missis ad Ferdinandum oratoribus pro urbis incolumitate intercederent. quod dum fit, vallo à civibus deserto, cornuto operi, quod ad Mosam positum, ac primo tentatum, magno impetu hostes imminebant. Erat id spatio nimis vastum, adeo ut vix quingentorum præsidio servari potuerit, & ideo desertum; milite duas pone adsitas munitiones; quis Lunæ dimidiatæ nomen, insidere ac servare jusso. Et Hispani jam urbis molem proximam subibant; in quam expeditus aditus, cum aqua fossæ in duorum vix pedum aut trium altitudinem attolleretur. Inter hæc, caussam civium, sacerdotum unus apud Ferdinandum egerat. qui, in urbem iterum admissus, animos eorum ac audaciam accendit. vulgato; Dedendam urbem, pacta ejus ac vitæ omnium fortunarumque incolumitate; Inter minitantium voces; Ni votis suis satisfieret, hostilia se ausuros. Quare militiæ præfectis convenire jussis à Brederodio, ut ipse quidem rettulit, aliis tamen id negantibus, expositum; Primo in cives, dein adversum hostes eundum. Sed id aliis haud consultum, cum, si pariter hostes ingruerent, undique discrimen & certum exitium militi immineret. Quamquam enim haud multo plures quam sexcenti, infimæ tamen plebis multitudo militum manu longe major erat. Itaque, uno omnium adsensu, Iohannes Iegerus, vigiliis præfectus, & Beringius centurio, ire jussi, qui, impetratis quæ more militiæ conceduntur, deditionem urbis Ferdinando offerrent. Mox Brederodius, cum præsidio omni egressus, clam suis se subduxit, per Campiniam Brabantiæ, Coloniam Ubiorum raptim pro-

profectus; metu, ut apparuit, pœnæ, & quod tuendæ caussæ, vel aliis probandæ, diffideret. Quæ ubi Auriaco nuntiata, secordiam Brederodii, ac aliorum negligentiam caussatus, tympanorum, qui nunc mos est, impulsu, ut Brederodius ac Iegerus, rationem eorum quæ gesserant reddituri, præsentes se sisterent, palam aliquoties edixit. Sed culpæ suæ sibi conscii haud paruere. Sententia ideo, quanquam in absentes, mox lata. Est supremus quidam in castris aut Hagæ militaris Fœderatorum consessus, in quo prima Iacobi Wytsii, dein tribunorum, aliorumque, quibus belli illustris aliqua administratio & rerum scientia est, consilia sunt ac partes. In eo igitur cum cura quæsita tandem sunt quæcunque ad Brederodii & Iegeri caussam pertinebant. Capita accusationis pene eadem erant, & » in vulgus pridem edita leguntur; Sine cura egisse, neglectis quæcunque servandis urbibus tuendisque debentur. Ignaris cæteris militiæ præfectis, » quorum omnium consilium unum & corpus, arma ac ferrum civibus distribuisse. quibus pro » hoste postmodum uterentur. Petente Magistratu, » nulla alia necessitate impulsos, tympanotribam » & sacerdotem cum hostibus acturos in eorum castra ire jussisse. Mox ex quorundam tantum centurionum adsensu obsides duos hostibus tradidisse. pactis inter eos ac ratis statim subscripsisse. post » quæ stationes ac vigilias continuò intermisisse, portarum una hosti patefacta, cæteris omnibus ignaris: » denique post dierum tantum quinque obsidionem, » post bidui oppugnationem, nullis adhuc operibus » vi hostium subactis, urbem, adversus vim satis » validam, & quovis militiæ apparatu abunde instructam,

ſtructam, fidei ac ſacramenti oblitos, dedidiſſe. Ob » quæ adverſum eos pronunciatum; Ut deprehenſi capitis ſupplicio atrociſſimi criminis exemplum expiarent. Centurionibus, conſilia & curas cum » Brederodio haud partitis, Quod imprudenter in » mittendos obſides conſenſerint; deteriora con- » ſilia ſecuti; quod denique tollendis civium moti- » bus ſalutaria remedia non expoſuerint, aut expo- » ſita non urſerint, objectum. Propterea loco & di- » gnitate moti, ſub aliarum cohortium ſignis inter gregarios ſunt tributi, ſpe tamen repetendæ dignitatis animati, ſi, illuſtri aliquo auſu obliterata præſentis culpæ infamia, virtutem iterum ac fidem commendarent. Henricus Haecxbergius, optionum unus, uſu armorum & militiæ prohibitus; quod cæterorum etiam culpæ innexus, prætereà deſerta turpiter ſtatione, ad eam repetendam à gregario impelli debuerit. Nec optiones cæteri ſigniferique excepti; quorum impar etiam cura; ſed ut dignitas, ita pœna minor. Nam ad unius aut alterius menſis ſpatium dignitatibus exuti, eas mox repetiere. Quæ judicia Auriaco probata: nec cuiquam venia conceſſa; ut, ſicut culpæ, ita diſciplinæ exemplum in cæteros iret. Nequaquam tamen ſilentio tranſmiſerim, quæ in Brederodii litteris, ad familiares ſcriptis, repperi. In quis admiſſi in urbem ſacerdotis, è Ferdinandi caſtris reverſi, cujus adventu civium accenſus tumultus, crimen, & improvida conſilia, ut ſua, agnoſcit. Cætera velut aliorum, & contra quæ ire non potuerit. Et, ut « omnium cauſſa, poſtulata Venloanorum, facta ad « motus & adverſum imperantes ſemper, ingenia, exemplis è veteri memoria repetitis. Nam anno

N præ-

præterlapsi sæculi nonagesimo, qua tempestate Alexander Farnesius, Parmæ Dux Placentiæque, Hispanorum in Belgio res curabat, absente Bentingio militum præfecto, Italos primo, dein Germanos, in quîs urbi tunc præsidium, vi ejecerant. Ad hæc, quod externis munitionibus jam à biennio haud provisum, vallo operum alibi dejecto ac aperto irrumpentibus, objectum. Sed quæ ab Brederodio commissa, culpa aliorum adducta, nequidquam excusabantur. Venloa capta, Ruremundæ deditio statim sequuta est. Nec quidquam ad eam gestum, quod Annalium sit argumentum. Urbs enim invalida, & quam munimentis satis tueri non licebat, ac ideo hostium impressionibus impar. Quæ capta non tanto Fœderatis damno, quanto Hispanis gaudio fuere. apud quos, raro tam felices, etiam modica, magis famæ, quam victoriæ pretio ac usu, extolluntur. Supra quæ, falsa tum quoque in vulgus sparsa. Est Neomagum, urbs Gelriæ inter primas, multis belli operibus, Vahali adsita; & cis eum castellum haud minus validum, quod Knodsenburgum dixere. Hæc ab Hispanis capta, & simul Bredam ab obsidio solutam, non inter sermones tantum vulgi, sed libellis, quos legimus, Brugis Flandrorum editis, magna adseveratione circumferebatur. Quorum exemplum Auriaco tunc traditum; & ad Fordinium tramittere
» visum est; ferente tubicine, ac rogare jusso, Quid earum rerum, aut quid non esset? qui mendacio
» suorum ac credulitate confusus; Malle se vera hæc,
» quam credere, excepit. Quæ simulachra, rebus maxime afflictis, alias quoque inter eos usurpata, nullo, hercle, usu, nisi, quod celatis ad tempus

tantum

tantum adversis, inter ea specie bene gestæ Reipub. detineant animos vulgi, quod vim ejus interim amittit ac libertatis. Haud dissimili, quod à veteribus proditum est; Domitiani exemplo, qui, attrita licet foris militiæ suæ manu; inter motus Provinciarum & defectiones, quo pro odio populi, gratia uteretur, coemptos nationum servulos, tanquam iis domitis, in publicum triumphi spectaculum traxit. Sed eo majus post ludibrium; & sæpe motus; cognitis mox, quæ frustra in præsens dissimulantur. Nunc ad res urbis revertamur. Nam demum ab externo hostium insultu, amoto metu, de operibus ejus subeundis seriò cogitatum; cum tota jam manu imminere, & ideo minori non tantum discrimine & impensa, sed etiam, cujus maxima æstimatio est, temporis spatio, destinata conficere liceret. Quantum enim continuatis vigiliis hactenus & constantia depulsum, tantum laboris, nec minus ex obsessis periculi, restabat. * Vias igitur obsidionales, ab Auriaco, Guilielmo & Henrico, Nassoviis, suis è stationibus ut sternerent, operum militiæ architectis imperatum. Accessus fere, recepto jam plerisque vocabulo, dicuntur. Quibus, in munimenta hostium eruta humo, & ad oram ejus adgesta, recto alibi ductu, nonnunquam obliquo & sinuato, alibi in dextram, subinde in lævam, prorsum aliquando, sæpe retrorsum, flexu, declinandis telis, & fossoribus militique tegendis, sensim penetratur. Initia earum haud nimis vel procul urbe, vel prope eam, instituuntur. Nam alias longo & non necessario labore dies trahuntur, & impensæ; aut operæ militares, antequam tutis esse liceat, periculis temere

* Approches, Loopgraven.

exponuntur. Unde ut à fistularum glandibus & ictu in primo aditu immunes sint intervallo licet ab oppugnando opere virgarum septuaginta, inter præcepta artis est, & fere semper observatur. Auriacus qua urbis munimenta Ginekæ objecta sunt, instabat. Conditi ante alia tormentorum aliquot militarium suggestus, quibus hostilium vis prohibetur, & ad turbandas irruptiones. Dein duplici ductu via promota, quorum alter Gallorum, alter Anglorum labori & vigiliis permittebatur. Et, castrensium vocabulo, utraque à gente desumptum cognomentum. Namque duplex operis cornu, in quod ibatur &, ut operis, ita periculis divisis, felilicius omnia peragebantur. Accedebant utriusque gentis veteres, & ideo, quamquam caussis sublatis, adhuc retentæ simultates. quæ impedimento futuræ, si eodem in loco pariter occuparentur; in honestam autem æmulationem conversæ sæpe profuerant, ministerio & iccirco exemplis industriæ divisis. Tum quoque consultum, ut viarum stationes non nisi ad tribunorum dignitatem evecti, summo cum imperio, distributis inter se vigiliis, observarent; sive quod quorum munia, eorum autoritas & cura sint majora, aut quod paucorum potius, quam plurium, sæpe mutato imperio, publica melius fere administrentur. Douchanio tamen, autoritate tribuni, non nomine hactenus utenti, & Gleserio, prætoriæ imposito, id quoque honoris datum est. Et tollendis dissensionibus, qui administratione dignitatis, ordine etiam priores censebantur. Itaque Hauterivio Gallos inter, & Carolo Morganio Anglorum primæ excubiæ offerebantur. A quibus pari omnium alacritate ad passus

fere

fere ducentos via tum provecta est. Vtrique tuendæ * quadratum opus (Reductum, aut Receptum, autores artis vocant) justæ magnitudinis impositum; quo & militum statio esset, & fossoribus, si urgerentur, eo se, velut ad præsidium, conferre liceret. quibus alias ad castra fugientibus anteacta omnia irrita redderentur. Fodiendi labor in singulos, promptioris operæ caussa, divisus est; cuique terræ spatio quatuor pedum, aut quinque, tributo. Primum vero arctius, & noctis opus erat. Nam qui præsidio tenebrarum ab hostibus haud agniti, viam, quæ lata modo ac profunda pedes tres, totidem pedum lorica aggesta, condiderant, aliis, qui exorta luce hæc inter jam tecti exercebantur, in latitudinem pedum duodecim porrigendam, & quæ incondita reliquerant, ex arte componenda permittebant. Ea enim magnitudine opus, in carrorum transitu, aliisque post paullo subvehendis. Quæ cum alibi quoque, & sequutis dein excubiis, facta sint, ne legentibus fastidium obrepat, hic tantum dixisse suffecerit. Cæterum cum in meridiem sol iret, Walonum ac Hispanorum fere septuaginta, Hispano centurione, & cum eo aliis quinquaginta in cujusvis eventus præsidium à tergo dispositis, in Hauterivii manum erupere; sed mox retro ire compulsi sunt: &, paucis nostrorum desideratis, decem hostium cecidere. quos ut in urbem sepeliendos aveherent, facto unius horæ armistitio, mox concessum; ea lege, ne cœptum jam obsidionalis viæ † tractum intrarent; cognito sæpe, accepto beneficio plerumque hostes abuti ad exploranda, quæ tutius teguntur. Qua medium inter nostra & hostium opera intervallum, ire utrinque

* Corps de guarde, Redoute.

† Trinchee.

jussi militiæ quidam præfecti, ut, his curantibus, intra limites eorum, in quæ convenerat, quisque se contineret. Auriacus Percevallium, qui castrorum primus & sollers militiæ operum architectus, ut inter suos eò se conferret, providè imperaverat. qui satellitis persona & armis assumptis, agrorum, quos moliri oportebat, genium ac situm, ignaris tum hostibus, pervidit. Quæ scire, plurimum interfuit, cum haud susque deque sit, quo pergatur; primis aliquando nequidquam superatis, ubi mox iniqua soli, eodem in tractu, offeruntur. Proximæ noctis excubias Solmensis Comes Anglos inter, Maisonneuvius Gallos, sequentes Charnacæus Legatus, & Herbertus, post hos Goringius & Gleserius, tandem Douchanius & Colpeperus, dein Morganius & Buatius, protribunus, (cujus multis desideriis id indultum) post eos ordine iterum suo priores tenuere. Omnibus in id maxime contendentibus, ne aliorum labore ac cura inferiores deprehenderentur. Inter quæ vix quidquam milite, plus paullo jactu pilarum e machinis, ab obsessis tentatum; levi damno inter quorundam vulnera, paucioribus cadentibus, inflicto. Modici tum temporis, provectique operis spatium, inspicientibus quibuscunque stupori fuere. Nam eadem ibi alacritas militum, quæ ducum. præibatque omnibus, & juvabat, Imperatoris præceptum aut exemplum. qui indies obsidionalem aditum ingressus, nec alia specie, quam constantiæ ac industriæ, indefessa usus, gnarus artis, & periculorum contemptor, præscriptis quæ sequerentur, aliis ad ista animum augebat. Ac simul via promota. Cujus, cum propius subirent operæ, non una ratio.

Qua

Qua licebat, & minus periculi, rectà ibatur. Ubi discrimen majus, fossoribus telis hostium expositis, flexu aliò via ducta est. In quo, & recto tractu, cum dies incumberet, tuendis quæ facta, Reductus conditus. Cujus majus minusve, prout auctum vel decresceret militum præsidium, poscente periculo, spatium erat. Nec situs forma æqualis, sed diversa, prout loci flagitabat. Quæ inter pilæ, quibus à * malis Punicis vocabulum, sed rarò, disturbandis operis projectæ. Nam multus in iis pyrei pulveris usus; cujus, ut supra dictum, penuria obsessi vel maximè laborabant. Sed inter hæc Angli viæ suæ tractum in uligines paludum provexerant. Consultatum verò tum, an, terrâ injectâ ductum rectà provehere, an, dilecto circumpositæ oræ tractu, erutoque, progredi, constantius & pro instituto foret. Sed aliunde, nec sine gravi incommodo, advehenda terra, & iccirco aliud consilium, usu tum valuit. Hæc dum geruntur, litteræ Ferdinandi Principis, callide elapso tabellione, & liberalitate ejus ante ministerium erecto, Fordinio reddebantur. quarum argumentum; Vim suam aliò, » non priora consilia, converti. Alibi enim solvendæ » obsidionis curam geri. Nam facto in ipsos impetu, » aut aliunde immissa clade, hostes dispellere, » perinde esse. Traheret tantum meditamenta ob- » sidentium, in propulsandis, tempore pariter & ip- » sis æstimatis: quos se, non urbem, deseruisse. Sed » nec ab illis abesse, quibus alibi noceret. Quæ Fordinius, attollendis suorum animis, haudquaquam texit, pluribus additis, irritæ inprimis spei eventu: Simul urbanum magistratum, (nam suum ei armamentarium) adiit, & petitas † majores bombardas

* *Granaten.*

† *Musquetons,* Dubbelde haecken.

bardas (duplices vulgus vocat) duodecim, eâ cautione, ut ſoluta obſidione redderet, ſtatim accepit. quibus in cornuto opere, quod Ginekæ objectum, & Hiſpani fere ſervabant, prohibendis obſidentibus uteretur. Machina ea belli vetus, & ante reperta majora tormenta, aut ob impenſas iis poſtpoſitis, ſæpius uſurpata. Nam plus noxæ ex ea, *Muſquet. quam * minori, infertur; & expeditior, quam majoris eſt uſus. Palis juſtæ magnitudinis in ſolum impactis, & ſub verticem excavatis, mobili ac exſtante unco, & immiſſo altero firmatæ, machinæ in quaſcunque partes circumvertuntur. Quibus, Sylva Ducis oppugnata, eo in caſtello, cui Iſabellæ nomen, obſeſſi etiam, haud levi cum noſtrorum noxa, utebantur.



Nocturnas diurnaſque noſtrorum excubias idonea militum manus continuò tuebatur: qui, aucto jam periculo, quo ab obſeſſis propius aberant, primo in aditu, præeuntibus ſacrorum adminiſtris, diſcriminis moniti & fidei, precationibus pro ſe ac ſuis æterni numinis majeſtatem poſcebant. Gnari, ſine ejus conſilio ac ope nihil providenter homines auſpi-


auſpicari. Guilielmus Naſſovius, poſt Imperatorem primus caſtrorum legatus, (Mareſcallum nunc dicunt) haud minus operæ induſtriæque, obſidionalis viæ ductui, quo in oppoſitum opus, quod cornutum quoque erat, ſternendo impendit; ſuggeſtibus duobus initio conditis ad prohibendos tormentorum hoſtilium aut militum inſultus. Tum quoque æſtimatum Henrici Naſſovii, qui in arcem, & adſitam ei cornutam molem quovis labore properabat, exemplum. Nam triplici via & in munitiſſima opera, quibus ſubactis alia & appoſita cederent, continuo ibatur. Hic ædes, urbi proximas, & pro amænitate a Naſſoviis olim agro inſtructas, quibus à ſuperni faſtigii ſpecie Pyramidis vocabulum, primo invaſit. Ex quibus, excitato ante omnia dimidiatæ Lunæ propugnaculo, multum promovit, omnem agri iſtius ſitum, nec ſine diſcrimine, paullo antè ſpeculatus. Præmiſſis enim ſclopetariis ſex ſeptemve, qui in inſidiis forſan poſitos excuterent aut explorarent, atque ab his cæſis vel captis, quæ evenerant cognitis, vix admodum præſens jam periculum evaſerat, ad alia mox & quævis accinctus. Nam aſſumptis copiis dum ad Pyramidem & adſita occupanda contendit, haud modica aquarum vi, perrupto ab hoſtibus aggere, oblatâ, primus eam pedes emenſus eſt, porrectâ inſuper ſuis dextra, quo promptiores & exempli magnitudine impulſi ſequerentur. Nec minus ipſi nox eadem, & ſequentes aliquando vigilatæ, quo, quæcunque ex uſu, ipſe præſcriberet, & ſua cæterorum conſtantiam induraret. Plus enim laboris & periculi, ac ideo etiam pretium operarum auctum, quò propius ſuccedebatur. Frequentiores quoque

O viarum

viarum gyri & flexus, avertendo discrimini, quod rectà ituris præsentissimum; inter anfractus, propter obliquos, & quorundam tantum, quæ à latere, tormentorum jactus, minus erat. Et sub ipsum hostium adspectum, propiores reductus, frequentioresque suggestus conditi. In quibus, & loricis, sive adstructis viæ, sive ex eâ instar limitis transversim per objectum spatium tractis, ex quîs missa fistulariorum tela vim hostilium inhibebant, omne tum præsidium erat. Quotquot enim in adspectum nostrorum se dabant, priusquam fistulas explodere nt, plerumque feriebantur. * Corbes tum usui, quîs jaculatorum vultus tegebantur. Illæ ex vimine contextæ, & arena fartæ, loricarum vertici imponuntur. Digitorum enim novem fere aut decem altitudine, & e fastigii latitudine in majores angustias continuò desinentes, & junctim compositæ, modicum tutumque præbent inter singulas intervallum, per quod & hostes facile videre est, & in eos tela diriguntur. A quibus obsessi destituti, sacculis ejusdem formæ, & terra impletis, aut cespitibus duobus, traversim conjunctis, quibus tertius ejusdem magnitudinis impositus, haud uno in loco utebantur. Quorum hic species designata.

* Schans-corfkens.





Qua ex Auriaci statione promotum, Percevallius, operis


operis dirigendis, ob peritiam artis, impositus, visui hostium, dum opposita explorat, objectus; grave vulnus accepit; æstimantibus cunctis, quanta ejus industria ac vigor, tantum desiderari. Haud multo pòst in Guilielmi Comitis tractum irruptionem obsessi fecere, ducentorum fere manu. Acriter tum & diu pugnatum, nostrorum excubias tuente Henrico Nassovio, legionis Batavicæ tribuno; cujus ardorem ac jussa alii sequebantur. Verscurius centurio inprimis, qui quatuordecim vulneribus acceptis, singulari inter hæc animi corporisque constantia usus, tandem occubuit. Et cum non minor aliorum, præsertim Hamiltonii signiferi, virtus esset; hostes retro ire adacti sunt; plurimis suorum desideratis. Inter quos, Cantelmus Iacobus fuit. qui ferro perfossus biduo post exspiravit. Is ætatis impetu & omnis periculi contemptu temere raptus; quanquam illustri, ut ante memoratum, genere ac loco, gregariis se miscuerat. Haud semel a Fordinio monitus; Ne se casibus nunc exponeret; cum quorum magnitudine, „ usum sui ac pretium contendere ingentes semper „ animas oportere. Ardorem satis alias testatum: „ Neque se his misceret, quibus periculi multum, nihil gloriæ offeratur. Nec enim hac irruptione aliud „ à se agi, quam ut quid rerum agant, quo viam fe- „ rant, denique quo animo hostes sint, pugnam inter, „ sui propius explorent. Quæ, quamquam sæpius „ repetita, juvenis tamen animum haud flexere. Qui in Italia Academicorum (quorum varia ibi nomina & instituta) studiis ad humanitatem imbutus; singulari quadam animi inclinatione ad ea quæ belli sunt conversus, struendorum ejus operum

primo artem hausit, & in Germaniam, ac Belgium dein profectus, quæ plurimis jam bellis districta, quamquam oblatas militiæ dignitates abnuerat, ratus, discrimina secum & labores ante gloriam, obsequium ante imperium, melius communicari. Unde quanta de eo omnium spes, tantus ob intempestivo ardore interceptum luctus. Cæterum Fordinius, cum imminentibus undique hostibus magis indies se premi videret, tabellionibus duobus furtim elapsis usus, litteras ad Ferdinandum destinavit, magnitudinem discriminis, in quo versabatur, & quod maius instabat, complexas; „Non „quidem de constantia suorum ac sua, sed de fortu„na urbis actum esse, nisi brevi magni quid distra„hendis hostibus gereretur. Nam obsidionali via „cornutam ad molem jam fere promotum. in qua „ut urbi robur, ita post eam pauca restare. Quæ„cumque ad sistendos deturbandosque eos facerent, „hactenus se non prætermisisse, nec, ut sine tem„poris ac hominum jactura viam ultra ferant, com„missurum. Præsentis autem discriminis magni„tudinem nunciari, quo ne de meliori urbis statu „forsan persuasi differrent quæ jam gesta esse opor„tebat. Et, quocunque tandem eventu, integram „sibi fidei omnis ac providentiæ gloriam futuram. Hæc inter de solito labore nihil ac opere nostri remittebant. Et ad loricam, quæ ante cornuti operis frontem excitata, jam perventum; auctoque † Sapp. discrimine fodiendi ratio mutata est. Nam † eruta humo fovea primo condita, profunditate trium & totidem pedum latitudine, terra hostile vallum versus, unde maximum discrimen, projecta, in eam altitudinem, ut & fossor ipse, & qui dilatandis augen-

augendiſque quæ cœpta ſuccedebant, oculis hoſtium aut telis non exponerentur. Et proderant foſſoribus repertæ ſimul cum arte ſtrues, quæ * vela viarum aut opercula vulgus vocat. Pali quatuor aut quinque pedum longitudine, intervallo ſex aut octo, in humum adiguntur. quibus pro operiendæ viæ latitudine alii ſuperindi & utrimque conjungi conſuevere. dein faſces colligati, quibus à formâ † farciminum cognomentum, tegendis, qui ſubtus agunt, injiciuntur. Horum eſt uſus etiam, qua operæ non progrediuntur, diſtrahendis hoſtium telis, quæ fruſtra ſæpe immiſſa, cum ferri; qua non itur, viæ ductus, velorum diverticulo exiſtimatur. Quædam eorum ex trabe facta, cui ab extrema utrinque parte pali duo in majores ſenſim anguſtias aſcendentes, immiſſi, adjectis faſcibus, alio ſæpe promoventur.

* Blinden.

† Saucisſen.



Ac ſic tandem in viam loricæ, quæ ſubruta, coopertam, aduſque foſſam cornuti operis, eſt penetratum, opera inprimis ductuque Buatii, qui nihil induſtriæ aut laboris tum intermiſit. Ex ea paullo ante irruperant obſeſſorum aliquot, coriis armati, quibus cuſpides ferreæ in vertice quaqua præfixæ, & inde * ſtellatorum cognomentum. Alii


* Morgeſterren.

picatos funes advexerant, quibus accensis operculorum fasces comburerentur. Stationem tum Charnacæus tuebatur: qui, dum suos, initio in fugam conjectos, ad redintegrandam pugnam hortatur, imminetque hostibus, Granatæ ictu leve vulnus accepit. Et in Anglorum operas ejusmodi pilarum jactu haud minus, & frequentius jam, grassabantur. Inter quos Goringii inprimis virtus spectata. Cum enim pari cum Gallis passu, ob paludem, aliaque impedimenta oblata, via eorum haud esset provecta, hic animos suorum ac labores, tam exemplo quam hortatu, continuatisque vigiliis, excitavit. Unde quanta periculi magnitudo, tanta omnium alacritas erat. Raptim igitur expediti aliquot se operi accinxere, publica & privata tribuni liberalitate animati. Sed sola audacia usi, operculis viarum in præsidium haud instructis, eorum plerique statim prosternebantur. Quare etiam cæteri territi ultra non audebant. Tunc Goringius, animo adhuc immotus, & eodem in aliis erecto, suorum ministeria, avertendo periculo, promovendisque rebus, divisit. Nam corbibus loricæ viæ passim impositis, fistularii plures hostem impetere; alii fasces continuo advehere; quidam ex iis opercula viarum adornare; cæteri interea eruere humum jubebantur. Sic interposita omnia, & ipsa quoque fossa cornuti operis, fascibus & terra pro aggere injectis, superata. Auriacus, qui, pro more, obsidionalis viæ tractum inspecturus tum forte accesserat, celeritatem operarum & facta demiratus, Goringium multa comitate amplexus, constantiam ejus & alacritatem plurimum commendavit. Statim tum quoque im-

peratum,

peratum, ut ſub cornuti operis valli pedem cuniculus, terra ſuffoſſa, conderetur. At vero architectus, cui id injunctum, aggerem haud ſatis adhuc editum cauſſatus, periculo magis anxius, operam denegabat. Igitur Goringius, compacto ſtatim evectoque magis aggere, ipſe tranſgreſſus, quidquid adverſum imperata objici poterat, cura aut exemplo prævenit. Sed revertentem mox majoris pilæ ictus corripuit, calcemque pedis, & quidquid proximum, attrivit: magno omnium luctu, qui, quantus viri uſus, ex anteactis, quantumque immani ex vulnere rebus porro agendis impedimenti injectum, intelligebant. Architectum quoque, cranio perrupto, cerebroque omni excuſſo, in mortem haud multo pòſt pilæ impetus afflixit. Ab aliis mox cætera promota, &, ſequutæ noctis tenebrarum beneficio, magis magiſque eruta valli humus. Inter Gallos, qui alterum operis cornu impetebant, diſcrimina eadem ac curæ: Hauterivius, eorum tribunus, faſcibus injectis, viam foſſæ aut aggerem inſternere conſtituerat. Sed telis hoſtium frequentius immiſſis, & operarum aliquot proſtratis, pluribuſque læſis, cœpta perficere non licebat. Quem Charnacæus mox excepit. Et, eo jubente ac labores ſingulorum incitante, agger in juſtam altitudinem excrevit, operis pretio florenorum bis mille & quingentorum oblato: Nam a circumductæ * loricæ extrema fronte ſubverſa † humus, donec agger rectà cornui majoris operis objiceretur. Ad lævam aggeris lorica impoſita, ſed dejecta adeo, ut attollentium ſe capita ad ictus telorum pateſcerent. Ac ideo inclinato fere corpore tranſibatur. Quod Charnacæo ne-

* Contre-ſcarpe.
† Sappe.


SPECIMEN OPERIS CORNVTI.
A. Frons operis cornuta.
B. Fossa lata passus XXX.
C. Receptaculum.
D. Murulus terreus.
E. Fossa altera.
F. Lorica declivis.
G. Vrbis moenia.
H. Fossa moenium.
I. Opera Varia,
K. obsidente Bredam Spinola,
L. ab obsessis condita.
M. postea ab Hispanis eversa.

neglectum, & galea non utenti, dum curandis, quæ necessaria, ultro citroque commeat, exitio fuit. Namque letale vulnus capiti ejus inflictum. Indoluere excessu ejus Gallorum natio, aliique, a quibus inter togæ artes industria ejus ac facundia, nec inferior bello virtus ac ardor, multa inter erepti desideria, laudabantur. Quippe a Gallorum Rege, ad Fœderatos Ordines, urgendo inter eos curandoq; fœderi ablegatus, promptitudinem oris, &, cum res posceret, publico in consessu, etiam præter exspectationem oblata, ingenii quoqe probaverat. Et, quamquam diversis aliquando, quod in publicis negotiis & imperii arcanis frequentissimum, objectis, quorumcunque quæ dixerat feceratve, semper constantiam tuebatur. Per multa enim Reip. experimenta domi, dein cum supra ea esset & par majoribus, foras, primo in Suecia, apud ejus Regem Gustavum Holmiæ (gentis ibi aula,) & in Germania, quo bella ejus translata, dein in Belgio tractus, non ex umbra, aut privati ac inexerciti ingenii disciplina; ut plerique alii, sed ex ipso usu Reipub. complexuque, temporum inprimis callidus, ea perdidicerat, quæcunque ad rerum maximarum consilia & imperantium artes pertinebant. Nec legationis decore ac curis contentus; ad belli studia se convertit; pro indole, ac ardore gentis, cujus virtus inter arma & hostibus coram maxime cupit spectari. Quare, Auriaci jussu, peditum aliquot cohortibus, tribuni dignitate, & uni equitum turmæ, est præpositus. Sive, quod nonnullis creditum, ut mutatis eorum, quis domi utebatur, in se studiis (nec id rarum hac tempestate;) saltim in Belgio integris militiæ muniis uteretur.

retur. Et erant, qui inter hæc temeritatis virum
» postulabant. Namque ab aliis consultum; Ut sibi
» parceret, aut, si periculis se offerre constitueret,
» galea aut clypeo, aliove armorum tegumento, ute-
» retur. At ille contra; Gloriæ majorem sibi, quam
» vitæ curam. & hanc cælestis esse providentiæ, con-
» tra quam nec aliis, nec sibi, ire liceat, aliaq; multa dis-
» serebat. Atque ea sententia castrensium plerisque
ducum insedit, qui, armorum, quæ tegendis corporibus prudenter olim reperta, & nunc ob fulminantium machinarum vim magis necessaria, postposito usu, fati legem, velut immobilem, inter quævis discrimina, averti aut declinari ab armatis aut intectis, non posse, arbitrantur. Utique vitæ cujusque terminum, & mortis genus, locumque, aliaque semel posita, & hac lege eventura semper, non abnuerim. Nec tamen eò minus credere interim lubet, eadem lege, ne nulla hominum sit industria, quæcunque tuendis nobis faciunt, prudentiæ cujusque ac judicio præscribi. Ac, qui hæc intermittunt, perversa animi contumacia, velut figere illi legem, a quo accipere oportebat. Cæterum, nihil Galli contati, ultra & à cornuti operis latere, qua lorica circumposita, perrexere, suggestu istic reductuque, ad prohibendos adversos, excitatis. Metus enim incesserat, ne * cuniculis in extima cornuum fronte ab hoste structis accensisque, fossores pariter ac miles in exitium raperentur. Et eos conditos fuisse, mox compertum est; quo, eodem loci, nostri dispositi, deprehensique, turbarentur. Subtus igitur, qua integra omnia & solida, suffossa tandem humus & emota est. Nam a latere, viam coopertam & ejus loricam tunc ultra

* Contraminen.

ultra moliri non licebat; * traversis aliquot limitibus oblatis, quibus, sistendis nostris, aditum omnem obsessi intercluserant. Qui tamen post superati; & in † molem proximam itum. Itaque ut utrumque operis cornu cuniculorum impetu dejiceretur, quo via irrupturis patesceret, prima tunc cura erat. Angli tuendo aggeri, qui fossæ impositus, reductus duos ad utramque ejus oram posuere. Et a læva vallum cornuti operis, fossorum industria, loricis, ex quibus fistularii tela dirigerent; & operculis viæ, aliisque quibus opus, conditis, magis magisque subversum. Inter quæ majorum machinarum pilis, continuo immissis, corbibus, quibus pro se hostes utebantur, alibi dejectis, vallum operis & lorica ejus suprema, quo aperta omnia essent; undique convellebatur. Nam suggestus tum plures propioresque excitati, & loco moti, quotiens usus in tuendis nostris, cohibendisque hostibus, ac eorum machinis irritis reddendis, flagitabat. Ex cujus ratione plura aut pauciora tormenta imposita; & nonnullis * etiam ista, quibus excitando incendio, & circumpositis omnibus subvertendis, pilæ, quîs Granatarum nomen, funduntur. Quas † etiam, sed minoris ponderis, manu quidam in proximos & expositos jam hostes jaculabantur. Et alibi quoque usui erat nova * ligneæ & circulis ferreis compactæ machinæ species, qua, non ut manu in proxima, sed ulterius, eædem pilæ emittebantur. Ad ista tormentis majoribus nonnunquam magna vis minorum glandium indita & excussa est, lata cum hostium strage. Quibus & continuo fistularum impetu undiquaque circumventi, propulsandis nostris, & interiora valli, multo terræ

* Traversi.

† Ravelin.

* Mortiers.

† Handt-granaten.

* Mortiers du bois.

 aggestu,

aggestu, jam insidentibus, capita exserere aut inferre hostilia non audebant. At Auriacus celerandæ victoriæ intentior, molitionum omnium compendia & quidquid facere expeditius esset, tum tractavit. Nam cuniculorum major labos; &, deprehensos ab hostibus facile everti; accensosque sæpe, ut opus, vallum non aperire; &, eo aperto, accinctos hostes stare adversum ingruentes; aliaque discrimina obversabantur. Nonnunquam quoque experientia cognitum, animos sæpe hostium & constantiam prius quam opera expugnari; & frustra multa inter pericula labores trahi, cum munimenta, quæ tueri adhuc licuerit, ab ignavis, &, ob insultus obsidentium, metu correptis, facile aliquando deserantur. Igitur huc vertit. Iussum, ut e Gallis ac Anglis promptiores dilecti, corbes, quas pro fistulariis repertas supra meminimus, arena fartas, contis impositas, aut, si id expeditius, manu in ipso vertice loricæ hostilis, pari omnium impetu, disponerent: quarum benificio tectus miles in cornuti operis aream, eamque insidentes, continuo pilarum jactu grassaretur. Sic enim stationem deserturos eos credebatur. Sed eventus voto haud respondit. Namque obsessi cum accincti semper & quibusvis necessariis instructi adstarent, præter Granatarum vim in adscendentes evolutam, contis etiam hastisque plerosque rejiciebant, & hamotrahonibus corbium multis ad se tractis, reliquas magna contentione deturbabant. Quare, post multam cædem, cum destinata implere integrum haud esset, ab incœpto irruentes destitere. Nec iccirco minus spectata multorum virtus. Skipponii præ aliis, Anglorum centurionis. qui licet jam vulnere muti-

mutilatus, quo promptiores sui essent, loco haud cesserat. Igitur, ad priora consilia reverti, ac cuniculorum foveas, placebat. In suis adornandis jam Angli occupati, † adversos obsessorum cuniculos deprehendere. Quocirca irritum hactenus laborem ad novos condendos statim conferre visum est. Inter quæ Anglorum proximas operas, quæ eruta humo, per cornuti operis vallum a læva viam ulterius ferebant, obsessi centum & quinquaginta fere militum manu invasere. Fossores, ut imperatum, in Reductum proximum se receperant. quem Wiltisius, signifer, & mox in suppetias missus Moylius Optio, multo certamine gnaviter tuebantur; donec hostes, fistulariis undique ipsis imminentibus, acceptâ magnâ strage, in fugam conjicerentur. Nec multo post aliquot, e cornuti operis lorica, ducente optione, in fossores, à quîs cuniculi anfractus struebatur, quo, eo cognito, alio opposito vim ejus ac impetum eluderent, magno animo delapsi, haud minori, Monkii centurionis præsertim, & conserta ejus manu, repellebantur. Machina majori, cui Draconi nomen, quaque minorum glandium libræ duæ pariter continuo excussæ, multum iis damni inflictum. Tandem utriusque gentis eâdem curâ sollertiâque, cuniculi, si juberet Auriacus, injecto incendio, subvertendo vallo pares, & magnam secum ejus ruinam tracturi erant. Qui nil temere agendum ratus, ne omnis anteactus labor ab eventu destitueretur, in singula, ne quid deesset, inquisivit. Ac ut justa specus magnitudo, ut altitudinis æquabile intervallum, ut idonea pyrei pulveris vis subvertendæ tantæ moli, ut, a latere satis omnibus occlusis firmatisque, in vanum & cum

† Contramines.

noſtrorum damno excitati ignes non evolverentur, aliaque omnia ex arte & uſu eſſent, providentia ejus effectum. Nam quanta cuniculorum vis, ubi recta eorum ratio, tanto utentibus damno ſunt, ſi quædam negligantur. Quippe aliquando eventu apparuit, dum cuniculis muros vel majora propugnacula evertere conſtitutum erat, non ea ſubruta, ut ſpes erat, ſed è contra in apertam initio oram, & non ſatis clauſam, vim ignis erupiſſe. Iuſtæ altitudinis intervallum, per quod in ſuperiora ſemper tendentes flammæ vires ſuas exſerant, ſpecui aut furno (nam ita quidam vocant) cuniculorum non tributum, ut alia nunc haud referam, ejus mali cauſſam fere tradunt, qui arcana naturæ & actiones altius ſpeculantur. Namque ita fit, ut intra nimias anguſtias conſtricti ignes, partem debiliorem petere, illacque effundere ſe cogantur, nullo ſæpe aut modico vallorum damno. Et in fidem aliunde experimenta adferuntur. Nam in ædium cellis, quæ a latere oſtio aut feneſtris alibi apertæ, eodem pulvere accenſo, naturæ impetu ſurſum feruntur ignes, & quidquid ſupra obſtat perrumpunt: qui a latere petito exitu per aperta ejus evaneſcerent ſi, nimias intra anguſtias diſtenti, debitâ altitudine non uterentur. Quæ nunc cuniculorum ſtructores curæ & rationes exercebant. Ac promptis ſtatim omnibus nihil deſideratum. Quocirca Auriacus, haud ultra moratus, ut, utroque cuniculo accenſo, ſubverſoque vallo, in vertice loricæ reductu aliiſque in præſidium raptim conditis, occupatam ſtationem irrupturi tuerentur, provide imperavit. Nam primo (quod tamen evenit) impetu ſuis è ſedibus exturbandos hoſtes nemo facile crediderat.

diderat. Undique è castris huc, ad pulcherrimi operis spectaculum, plures cujusvis ordinis, ac gentis, multarumque imaginum, quo pariter animum ac operam conferrent, sponte & æmulatione honestæ gloriæ impulsi, confluxerant. Et obsidionalem viam ipse Auriacus ingressus, auctoritatem omnibus ac consilium commodabat. Gallorum, quorum stationem Maisonneuvius tum habebat, cuniculus primo accensus hostile vallum ita afflixit, ut prompto impetu ingruere liceret. Sincirius, composito jam ante suorum agmine, primus, sicut jussum erat, invasit. Quem optio Maisonneuvii, & alii, suo quisque loco, & aliis cum copiis, sustentandis promovendisque antecedentium rebus, mox subsequuti. Et immixti primis operum militiæ structores, qui edita continuo aggestaque humo tutos adversum tela receptus conderent, quibus nostri, si forsan acriores hostes obstarent, sibi & quæ occuparent tuendis, uterentur. Stabat in hostili opere Hispanorum centurio ad pugnam accinctus; sed præter exspectationem & multorum impetu circumventus, aut ab animo consiliisque desertus, initio reprimere invectos conatus vix admodum sustinuit. Nam alterius interim cornu cuniculo violentia etiam perfracto, Anglorum irruptionibus ac ferro omnia patuere. qui ne quid mora conatibus decederet, calentem adhuc *hiatum invecti, fumo etiamnum circumfusi, & ideo vix conspecti, incredibili alacritate instabant. Eorum cuniculum, paullo post illum Gallorum, accensum, ut hanc oram obsessi interea desererent, præcipuâ ad Gallos conversâ manu, quidam tradidere. Ergo Angli, ducente primos

* Breshe.

mos Monckio centurione, rejectis qui primo in aditu obstabant, confertis statim hostium turmis immixti, quibuscunque armis pectora & vultus feriebant. Qui Goringii ductum agnoscebant, insitato quodam ardore rapti, invicem se animabant, nomen ejus ac vulnus, & ultionis occasionem, conceptis verbis testati. Monckium Abrahallius centurio sequutus est, præter dilectam & imperatam manum, multa nobilium, qui ejusdem gentis undique adfluxerant, turba circumfusus. Et par omnium virtus, qui stipendia aut gloriam tantum merebant. Iacobus Aschleius, qui Auriaci mandata adtulerat, commode loricam cornuti operis cum expeditis aliquot fistulariis insederat; qui eminus continuato glandium ictu hostem exercebant, dum Abrahallius propius subiret. Tandem post acrem utriusque gentis pugnam, hostes, ordinibus jam turbatis ac perruptis, fugam majori cædi prætulere, omnibus desertis. Nec in structis pridem operis utroque a latere * sectionibus, quidquam præsidii, aut subsistere licebat; cum vestigiis fugientium, multas inter eorum cædes ac vulnera, nostri summa contentione instarent. Et, per eruta ad lævam valli, Anglis aliquot ad aditum festinantibus metus incesserat, ne via interciperetur. Igitur cum Gallis commissi primo rejecti exemplum fugæ cæteris dedere, tanta consternatione ac celeritate, ut, imperio obsequioque turbatis, e ponte, quo in † molem fossæ inpositam, ad lævam cornuti operis, ibatur, urgentibus aliis, plurimi in fossam sint deturbati. Namque modici operis, & unius tantum ac dimidiati pedis latitudine erat; quo abrumperetur facile, & ne, si latior, aditum irruentibus

* Affnijdinghe, *Coupure.*

† *Revelin.*

Breda.
Gineeker poort.
Wech naer Ginneken.
Accessus Anglorum.
Accessus Gallorum.
Approchie vande Fransen.
Approchie vande Engelsen.
A. Engelsche Gaelderij.
B. Fransche Gaelderij.
C. Twe Mortiers.
D. Corps de Guarde inde Gracht gem.
E. Affsnydinghe bij den Vyandt gemaeckt.
F. Batterien.
G. Corps de Guarden.
H. Plaetse van Ammunity.
I. Gesprongs mijnen.
A. Vinea Anglorum.
B. Vinea Gallorum.
C. Machinæ quibus Granatæ Emittuntur.
D. Receptus, sive statio fossæ.
E. Sectiones operum hostilium.
F. Suggestus tormentorum.
G. Receptus, stationes.
H. Armamentarium.
I. Cuniculi accensi.

tibus præberet. Sub cornuti operis primum aditum, qua fuga nunc erat, echinus, * claudendæ viæ, & machina, qua majores aut minores pilæ plures eodem impetu emittuntur, ad manum erant. Sed undique ab insequentibus oppressi ac circumdati, cæteris omnibus postpositis, sola in fuga præsidium collocabant. Cæsi eorum aut submersi centum fere & quinquaginta; aliquot etiam capti. Inter quos Iosephus Vergara, Hispanus, & centurionis dignitate. Qui cornuto operi tuendo impositus, Fordinii negligentiam in submittendo plurium præsidio, multa cum ejus contumelia, ut caussam cladis, interpretabatur. E nostris pauci gregariorum cecidere. Plures, inter quos primi quidam loci, honesta vulnera ostendebant. Iam vero pulsis hostibus, quo miles e propugnaculis urbis, aut aliunde a latere explosis machinis, minus noxæ referret, in cornuto opere ad oram fossæ, mœnia ambientis, in justam altitudinem, vario flexu, ad gesta statim est humus; & de † vineis Anglorum Gallorumque condendis cogitatum. Inter quæ magnam vim scapharum advectam, quarum beneficio, multorum pariter manu, inter obscurum noctis, fossa transmitteretur, metus aut quorundam mendacia obsessis persuaserant. Igitur Fordinio placuit, ad oræ Ginekensis portam novæ loricæ opus addere, quod adversus irrupturos receptui, &, si urgerentur, melioribus pactis commodaret. Fissum paullo ante in superiori ejusdem mole vetus opus, & novum ex præscripto artis per impeditos anfractus circumductum; sed id ultimo discrimini avertendo non erat, captoque eo recta in urbem aditus dabatur. Tandem architecti militares

* Vriessche Ruyter.

† Galderien.

tares missi, qui idoneum, & levissimo civium incommodo, locum struendo operi designarent. Vtrique portæ lateri vacui agri aut hortorum aliquot pomaria prætendebantur; destinatis admodum opportuna; unico a positis ad portam ædibus impedimento, quæ nisi solo æquatæ, parum cætera erant profutura. Iccirco domos unam & viginti evertere jussum; modico in publicum damno; quod tamen grave dominis, quorum singuli privatis ex rationibus cladem suam interpretabantur. Magistratui urbano id inter curas fuit: prudentia cujus, & quia acriter instabat; effectum, ut arctato paullum spatio ædes modo undecim exscinderentur. Affirmante interim Fordinio, Non parcendum privatis, si publicum juvaretur. Quidquid pro hujus securitate, illorum etiam esse. Mala sæpe vulgus, quæ presentia credere, mox, ubi alia supervenerint, placitura. Vim Reipubl. in usu singulorum esse; rationem vero sibi in eventu; &, consultum, alteram ex Breda Ostendam facere, si reliqua adsint, & ab hostibus premeretur. Tum quoque inter eos convenit, vacuis in agris ordirentur, ædesque, non nisi cum cetera effecta dejicerent: ut, si quid interea vel liberandæ, vel dedendæ urbi faceret, utili mora earum ruina præveniretur. Mox tamen disjectæ domus, suo singulis pretio æstimatis. Quod aut regio, si obtinerent, aut publico civitatis ære dominis redderetur. Aliis licet judicantibus, cladem, quæ pro singulorum commodo, paucis evenerat, omnium fortunis pensari debuisse. Inter hæc civibus impositum, ut aperiendæ humo ac structuræ operis se accingerent. Quod ut iniquum, & cum pro obsequio contumaciam induerent, magnis

Q 2 motibus

motibus negabatur. Auditæ in publico querentium voces; Non jam defendi urbem, sed everti, & ædium jacturam præsidii titulo in speciem velari. Quid cives suis prosternendis evocarent? Conclamatam fortunam; & cur prioribus nova & non necessaria damna adjicerentur? Ambitiosam hanc petulantiam esse, & consilium vocari. Quippe fieri haud profutura, &, si salvi esse non possint, cur non in tempore metu simul & noxa liberarentur? Vigiliarum ordinem a se observari; ligoni non adsuevisse; & præsens periculum esse eo in loco, ad quem vocarentur. Militum ista, non civium, si nolint. Damni pensationem Regis vel urbis nomine nequidquam præferri. Si Breda caperetur, novos dominos non teneri; &, lenta regum nomina, ubi debeant propter illa, quæ improsperè evenerint. Hæc ab aliis quoque clam accensa, qui sibi, nisi primis obsisteretur, eadem mox eventura, metu exempli rebantur. Prudentiores quoque judicabant, vix ex usu esse quod agendum imponebatur. Nam ad deditionis necessitatem fere ventum erat, deficiente indies pyreo pulvere, sine quo propugnari non possent quæ struebantur. Vano insuper remedio aditus uno in loco obsidentibus præclusus, cum arrectis quaquaversum vineis, pronum esset undiquaque irrumpere. Eadem quoque Fordinio cognita, sed alia meditabatur; Ex magnitudine animi sibi decus; &, velle jam, quod etiam posset, si cum rectis consiliis, quæ necessaria conjungerentur. Facto opus, ubi licet: gloriam ex apparatu, ubi, quid reliquum, apud hostes in dubio est; & famam ex conatu intendi. Erigi animos suorum, deficere inter adversos, quo plura militarium

operum


operum aufuris opponerentur. Pari interea civium contumaciâ, qui e Magiſtratu & eccleſiaſtici ordinis, quod auctoritate nequiverant, exemplo obtinuere. Stato die in curiam omnes convenerant, & bini ligonibus aliiſque onerati, pulcherrimo ſpectaculo ſe invicem ſequebantur. Valuit praeuntium auctoritas, & civium plurimi eos excepere. Erant quibus aſperiora remedia laudabantur, ſed non probata cautioribus, cum, ubi ab externo hoſte periculum & metus, cogere integrum non eſſet. Dies aliquot labori eâdem conſtantiâ dati, ſua pariter provehentibus qui obſidebant. Nam Guilielmus Naſſovius cornuti operis foſſam nunc quoque tranſmiſerat. Igitur pro tribuno Erſkinſio, cui tunc in Belgarum Scotorumque vigilias imperium, adulta veſpera ſignificat, proximi diei luce orta, quæ adornando incendendoque cuniculo neceſſaria, aptaret; admotoque foſſæ junceo ponte, in cornutum opus irruere vi tentaret. Tum, quidquid agendum, provide atque ordine ſingulis præceptum. Fracto violentia cuniculi vallo, primum inruerent fiſtularii quinquaginta; conto inſtructi cum his eſſent, & quatuor qui Granatenſes pilas dextra jacularentur. Hos exciperent alii quinquaginta, fiſtularii partim aut haſtati, dein, duce Leviſtonio, haſtatorum præterea centum, quibus, ſi opus, octoginta diverſæ armaturæ ſubſtituerentur. Protribunus vero cum reliqua manu pro eventu eſſet. Quibus dum curæ noſtrorum diutius occupantur, cuniculi latebras obſeſſi deprehendere. Quod cognitum noſtris, & cum progredi adverſum conſcios haud poſſent, ſufflamini fuit. Paullo poſt juſſu Comitis imperatum, ut meridie proximo

 alter

alter cuniculorum (duo quippe erant) incenderetur. Sed clam hostes non erat futuræ rei apparatus; & ideo sibi prospexere. Illi plures copias conferre; in alias adhuc partes scindere jam ante divisum opus; novis & transversis loricarum ductibus aditus impedire; harpagones, ferratas sudes, aliaque, adversum hostilia convehere. Quippe exemplo cladis ad Ginekensem oram acceptæ edoctis diversa & melior tuendi ratio placebat. Loricarum limites alii aliis superadditi, quo novi laboris discrimina oppugnaturis, & receptus suis, semper essent: cum eâdem in areâ idem sæpius hostibus repetendum, temporis ac hominum pari jactura, & ancipiti sorte, offerretur. His omnibus peragendis biduum mora nostrorum occupatum; judicantibus aliis, cognita hostibus, quæ differri non poterant, &, ne graviora essent remedia quam mala, magis festinari debuisse. Prono in vesperam die novis, ut mos est, militum præsidiis submissis, cuniculus incensus est, sed omnia adversa evenere. Aditu enim non satis præcluso, vis tota accensi pulveris a tergo evoluta, & integro fere hostili vallo, latere tantum modice disjecto, superior lorica immota constiterat, nec, quali opus, spatium nudabatur. Simul ruptus pons junceus magno impedimento fuit. Is enim operis architectorum militarium destinatus, ne incomposito ordine militibus per proximi aggeris angustias ituris miscerentur, &, si singuli se invicem, uno tantum transitu facto, sequerentur, diutius morandum foret. Festinato enim opus, ubi accinctis hostibus tam cito fere mala corrigi possunt, quam inferuntur. Interea, excipiendo insultui se obsessi parant, dum cladem

suam




Redout
Operculum stationis Equ
Blind voor Ruyter wacht
Wech
Comen
de Van Leur
Den
via obsidionalis
Loop
Den Wech na ter heyen
Scala habet
Redout
Den We
Pag. 126.



Typus stationis et obsidionalis viæ Guihelmi Nassovij Com.
1 Pars vrbis.
2 Opus cornutum.
3 Sectio operis cornuti.
4 Quatuor tormentorum suggestus.
5 Vinea, et appositus ei receptus sive statio.
6 Suggestus tormentorum sex in via obsidionali.
7 Receptus, stationes.
8 Demidiatæ lunæ opus.
9 Suggestus tormentorum, quibus vineam obsessi infestabant.
10 Agger fossæ iniectus.
11 Pons ligneus, violentia cuniculi subuersus.
12 Cuniculus.
13 Pars stationis Guilielmi Comitis.
14 Pars limitum circumvallationis.
15 Fossa ad recipiendas delabentes aquas facta.
16 Ædes sacræ Hagæ.
17 Via virgultis et frondibus a latere septa, qua ad obsidionalem tutius ibatur.



ſuam aut ejus remedia noſtri, inopinato eventu anxii, altius ſpeculantur. Quod imperatum, haud exſequi, nefas viſum; &, quod in occupando vix concuſſo vallo difficile aut inacceſſum, magnitudine animi ſuperandum; inſuper habitis periculis, quorum nimio metu ſæpe majora provocantur. Igitur ductores exemplum cæteris fecere, & nihil illis ad pugnam promptius fuit. Fiſtularii quinquaginta, offerente optione, ad valli hiatum ſe contulerant, & ſtatim hoſtium copiis miſcebantur. Atrociter aliquamdiu pugnam invaſerant, cum deprehenſo quadrifariam inciſo opere, optionis & aliorum cæde interveniente, quia pares non erant, quæ invaſerant, deſerere cogerentur. Hoſtes dein vallo inſeſſo, harpagonibus, pilis Granatarum, ſaxis, aliiſque, ſtrenue ſe adverſum irrumpentes tutabantur; magna pariter faſcium vi dejecta, quo obſtruerent hiatum, & poſt eos, velut loricam, poſiti, tutius pugnarent. Sed optio Gladſtonius aſſumptis ſuis ſupervenit; improſpero tamen exitu vitam & plures ſuorum morti impendit. Idem fere jam Leviſtonio & haſtatis ejus, quorum pars adſcenſu ob loci aſperitatem prohibita, obtigerat, cum Kilpatricius, cohorti præpoſitus, Blakii, Balfordii, Hamiltonii, aliorumque è nobilitate, quos ardor animi, non neceſſitas ex imperio, in certamen exciverat, manu inſtructus, ſtrenue in hoſtes impetum fecit, adeo ut, amiſsâ omni ſpe, deſerere hiatum, & ad interiora pedem referre compellerentur. Quâ ad dextram abſciſſum opus, ſimul noſtris ceſſit; & ad foſſam urbis metu an neceſſitate quidam hoſtium retroceſſerant. Alii contumaciores, ad ſiniſtram, cui nova etiam opera adſtructa, conſtitere.

Vallum

Vallum illis, quod opere validum, & circum fossa pedes ampla XVI, profunda VI, pro munimento erant. Contra, iniquo loco, omnia nostris adversa obvenerant. Loricam in vallo condere non licebat, cum architecti militares abessent, non tam muneris neglectu, quam quod rupto, ut retulimus, junceo ponte, & altero aliis impedito, progredi non daretur. Tandem mox eorum nonnulli prodiere, jamque cœperant exstruere, quod nostris, si fors ita ferret, receptui foret. Sed tela hostium frequentissima jaciebantur; ex vallo quoque urbis vi tormentorum, fistulisque plurimi militum prostrati. quo factum, ut consilium fugæ, quod necessitas subjecerat, sequerentur; centum & quinquaginta cæsis aut vulnere mutilatis. Præ cæteris Hindersonius, Balfordius, Williamsonius, Kilpatricius, Scoti omnes, & quorum sua quisque munia explicuit, læsi graviter vel desiderabantur. Non omiserim, dum hæc geruntur, cohortis ducem, sive ab aliis falsa acceperat, sive vana spe impulsum, nunciasse Principi, quidquid operum hostilium expugnatum; illustri documento, prudenter de fama dubitari, cum adversum fidem relata, quæ in proximo acciderant. Tradidere quidam, si modico insuper spatio durassent nostri, confici in fronte operis reductum potuisse, quem fossorum operæ moliebantur, in quo secura statio & aditus in hostem semper foret. Namque Guilielmi Nassovii jussu ac cura, milites centum dilecti, juvandis operis, ferro & ligonibus, aliisque ad moliendam aggerendamque humum necessariis abunde instructi, succedebant. Quo tamen minus accelerata hæc nostrorum fuga nocuerit, beneficio hostium debebatur. Quippe noctis proximæ

proximæ tenebris usi, non tentata à quoquam irruptione, opera omnia deseruere, magna armorum impedimentorumque vi relicta; mirantibus omnibus, metuisse eos quod nondum instabat. Notatum invenio, ambiguis inter obsessos consiliis certatum, tueri porro opus, an nostris cedere, magis ex usu foret. Erant qui diutius insideri non posse caussabantur; Equidem cessisse hostes; sed „ ut auctis copiis, & accensis in ultionem animis, fe- „ liciores paullo post reverterentur. Quamdiu inte- „ grum, prudenter eos sisti, ubi militum est satis; „ etiam illis in locis quorum tenendorum spes defe- „ cit. Nunc vero eos desiderari, & servandos occa- „ sioni, quâ non hosti modò noceant, sed sibi magis „ prosint. Alia cæteris & in speciem magnifica videbantur; Ubicumque hostis est, optimè militem „ exerceri. Par quaquaversum discrimen; & eodem „ animo audendum. Quo diutius opera tuerentur, „ serius de summa rerum triumfari. Namque extra „ urbes, eas tutissime defendi. Priora inter hæc ma- „ gis arrisere; & vesperâ noctis, qua abire visum; tormenta duo majora in urbem trahebantur, ne, si præter exspectationem fugiendum, eorum hostes potirentur: fugæ dilectâ nocte, ne observati a tergo opprimerentur. Itaque occupato opere, munimenta ad urbis fossam struebantur, quibus adversus telorum jactus miles tegeretur. Mox * vinea condi cœpta est, cujus primi progressus lenti & sæpe interrupti, quod idonei tormentorum suggestus in hostem deessent. Sed illis mox dispositis circumcirca urbem quidvis accelerando operi seriò impendebatur. De origine ejus & struendi arte, quæ hac tempestate obtinuit, pauca dicere; usu

* Galeria.


Breda.
Galderye
F
A
B
C
D
E
A. Batterien.
B. Corps de Guarden.
C. Plaetsen van Ammonitij.
D. Brugge van plancken.
E. Affsnijdinghe bij den viandt gemaeckt.
F. Galderije.
A. Suggestus tormentõ
B. Receptus. stationes.
C. Armamentarium.
D. Pontes ex asseribus compacti.
E. Sectiones operis hostilis
F. Vinea.

rerum ac instituto haud indignum fuerit. Varia militiæ meditamenta exercentis se ingenii sollertia, aut necessitas, ex commodo temporum invenit. Quippe ut sua sæculis omnibus bellorum fata, sic etiam machinæ fuere; quas pro situ locorum, & hoste, quo cum pugnandum, & arbitrio ducum, neglectas aliis, prosperæ rei exitus sæpe commendavit. Populo Quiritium Romano inprimis hic studium ad robur & victoriam fuit, facile subactis Barbaris, qui vastitate corporum aut incondita multitudine, artis ignari, bellorum suorum momenta metiebantur. Addidit nostra ætas, quidquid novæ, seu sua tuentium, seu eadem oppugnantium artes pro utilitate publica suasere. Vinea Romanum opus, & lapsa ætate Causia appellatum. Compacta e lignis machina, pedes alta VIII, lata VII, in longitudinem XVI excessit. Cujus gremio superne & a latere tectus miles, dum saxa, tela, & incendia avertuntur, sine magno discrimine ad subruenda murorum fundamenta pertingebat. Nostra haud absimilis & in eundem usum, aliud a porticibus nomen accepit; ob parem fere cum illis formam, quæ in ædibus aut hortis splendidorum, concamerato sæpe tecto, in ornamentum aut injuriis cœli dispellendis, frequentantur: Facies prope eadem omnibus est; nisi quod quædam cæteris firmiores, pro robore valli, & vi tormentorum, in quæ trans fossas itur. Initium molis, attollere fundum, cespite & terra ingestis, quibus continendis fasces adduntur. Quos ne vis aquæ dissipet ac alio impellat, pretio conducti vitæ prodigi in fossam delapsi fasces longiores in latitudinem disponunt, singulis ordinibus terrâ continuo injectâ. Mox truncis arborum dedolatis

moli infixis, & trabium sibi quaqua innexarum destinis, & crassitie asserum, tecto, ac utroque latere satis superque firmatis, intromissus miles, nec oculis hostium aut noxæ subjectus, fossam tramittit, inque vallum fertur. Altitudo, ut plerisque, est pedum VII, latitudo VI, VII-ve. Trabium * columellæ fere distant V. Lateri utrique a cespite & fascibus circumjectis est robur. Arcendo autem incendio terra tecto inditur. Dilecti enim operarum ad extimum vineæ ostium, a fronte tumulis terræ tecti, eamdem a tergo, ligone manubrii longioris, fastigio injiciunt, crassitie II, aut III pedum. Ad Bredam maximo conatu ingentia inter pericula hæc peragebantur. Solito firmiora & magis compacta omnia, hostium vis, & profundæ nec minus in longitudinem exporrectæ fossæ spatium, desideravere. Surgit enim ad mensuram hastæ, sive pedes XVI, lata, ubi maximè, C & L. Cætera, fascium & terræ in promptu erat quantum satis. Vinearum ad Ginekensem portam ratio sic imperata; Ut fascium ac terræ injecta fossæ moles pedum duorum altitudine supra aquam exstaret; Vineæ in propugnaculi interius vallum spatio virgarum quatuor promoverentur; Totius molis latitudo columellis sustinendis par esset; Columellæ molis paterent latitudine pedum decem, altæ pedes septem; Securitati vinearum altero ex latere lorica terrea prospiceretur, quæ impetum majoris machinæ dimidiatæ sustineret; Vinea idoneis asseribus utroq; ex latere, & tabulato, tegeretur; Columellæ ejusdem ordinis pedum tantum duorum spatio distarent; Tabulatum superius terrâ, crassitie saltem pedis unius, adversus globos fistularum, aliasque sphæras excitando incendio factas, tegeretur;

* Binten.

retur; Noctu & interdiu opus festinaretur, intra dies quatuordecim vinea ad valli pedem promota; Si quid ab hostibus subversum, architectus integrum præstare teneretur; Perfecto ante condictum diem opere, architectus in dies singulos sequentes, usque ad quartum decimum, sexcentorum florenorum præmio frueretur; Si contra, addicto pretio floreni bis mille detraherentur; Si cœpta tantum vinea urbs dederetur, architectus tamen totius & consummatæ pretium referret. quod augendis animis addebatur. Igitur Anglorum vinea pretio septem & decem, Gallorum autem decem & sex millium, florenorum indicebatur. Architectis pretium & absolvendæ machinæ dies præscripta, ut ex pacto, cui nisi starent, de minuenda mercede convenerat, acrius urgerentur. Lenta tamen omnia Auriaco visa, &, quod differri non poterat, nunquam satis festinabatur. Et magna architectorum fraus an negligentia fuit. Qui lucri modo avidi modica operarum manu, quantum alias facere integrum erat, non exsequebantur; ignari, ubi plures se desiderari intelligunt, nec venalis omnibus vita sit, plura a singulis peti. Nam multorum cædes, quæ jam intervenerant, terrori & exempla cæteris erant quo minus auderent. Auriacus, anxius animi ob lentitudinem operis, nec fractus curis, in dies singulos vineas frequentare, extollere alacres, addere animum donativis, castigare segnes, præscribere quod ex usu, & propterea præsentibus periculis se offerre. Quod Patribus cognitum; & metum injecerat. Itaque litteris iterum & serio monuere; Ne se & Rempub. pariter pessumdaret. „ Idem utriusque corpus esse, eumdem spiritum ac „

 vitam.

» vitam. Non tanti Bredam sibi, quanti mala quæ » haud frustra metuerent. Contemneret, ubi opus, » pericula, non provocaret. Nec se jam præferre » Rempub., sed ne quid hæc in ipso accipiat detri- » menti. Nil præter fortunæ suæ modum à se exi- » geret. Imperatorem se ipse cogitaret, & auctori- » tatem per alios, in ea, a quibus abesset, facile dif- » fundi. Cuncta in expedito, si duntaxat juberet; » & ubi fides deest, pœnis in contumaces stabiliri. » Augeri enim mala, non corrigi, quorum remedio in » casum omnia trahantur. Sed obfirmato adversum ista animo erat, & sibi tantum credebat; prudens, plus cæteris illum posse cui in omnes imperium; traditam auctoritatem, aliquando a ducibus neglectam, a petulantibus semper contemni; flagitium ante pœnam esse, & hac malum non averti quod evenit; denique parum in tempore periculi magnitudinem obtendi, cum maximum sit, si ejus metu infeliciter rem gesserit imperator. Interea dum horum cogitatio subibat, ille explorandis operibus alios quidem mittere, sed mox succedere, ne dubitaret; nec tam suis diffidere quam instare; addere singulis animum exemplo; & iis quæ juberet, artem pariter ac auctoritatem. Cum censorem ageret, quisque doceri se mirabatur; diverso aliorum instituto, a quibus non nisi præscripta ab aliis imperantur. Unde non rarò oblata, quæ haud exspectaverant, ut post eventum sibi potius quam aliis irascantur. Forte per eos dies in operas vinearum oppidani machinas frequentius solito intenderant. Quo factum, ut perita rerum ingenia de remedio certatim cogitarent. Placitum plerisque, compingere quadrati operis* vasa, quibus terra sarmentisque

* Backen.

tisque

tiſque refertis, lateribus vinearum, qua promovendæ erant, velut loricis proſpiceretur. Probatum initio conſilium optato eventu caruit. Vento enim motis aquis firma non conſtitere, & rimis ſtupa, pice, reſina, ut in navium fiſſuris, non obſtructis, irrumpente ſenſim aqua, hauriebantur. Deinde tamen viſum, ſubmerſis aliis, alia ſuperaddere, donec juſtæ altitudinis moles eminuiſſet, poſt quam operæ tutiores laterent. Quod, ut prius, pro voto etiam non evenit. Conſtitit enim, fundi rotundioris, cymbarum in morem, vaſa ſtrui debuiſſe; dum, quæ ſubtus quadrata, in latera potius, quam rectà, ſubſidunt, cum merguntur. Id tamen Gallorum vinea novi in ſecuritatem habuit, quod, ut * molem oppoſitam inſidentium jactus retunderentur, ad latus ejus, in prominente aggeris parte, velut lorica quædam fuerit erecta, ad quam diſpoſitus miles fiſtularum continuo uſu hoſtium conatus obtereret. Obſeſſis quippe nihil eorum neglectum, quibus noſtros prohiberi, aut quæ jam facta, infringi poſſe arbitrabantur. Nam quo promptius offenderent, inter tenebras (nox enim operi dilecta) laternas penſiles, piceas faces, aliaque, magno ignis fulgore, ex vallo ſuſpendere. Nec globorum ex machinis inſultu exſtinguebantur. Eſt, qua declinat vallum, ſeps ſpinea, adulta jam & craſſa pedes fere VI, prohibendo adſcenſui. Eam tunc fiſtularii aliquot inſedere, qui in noſtros accuratius, quia propiores, telorum ictus dirigerent. Machinæ ad hæc majores, perfoſſa valli urbis lorica, in imum magis demiſſæ, ut, quantum licebat, rectà ſe in vineas effunderent, aut ut noſtrarum impulſu minus læderentur. Compertum, dedita

* Ravelin.

dita urbe, ruptos aliquot machinarum tubos; ansis quibusdam, præter † vehicula, sublatis. Metum quoque hostium & pericula arguêre casæ militares, in queis nocturnæ vigiliæ aguntur, velut cryptæ quædam subterraneæ in foveas depressæ. Ad pedem valli infimum terram erui, & in justæ magnitudinis hiatus trahi machinas, prosternendis magis vineis, debuisse, quibusdam credebatur. Grollæ id factum nuper; & profuerat. Quippe quæ ad eam vineæ propemodum peractæ, excavato subtus vallo, rectà se majoribus pilis in eas provehentibus, mox concidere. Bredani vero a peritis harum rerum destituebantur, glande trajecto Knochtio, qui militarium operum cura ac scientia præ cæteris valebat. Cognitum quoque, valli inferioris * loricam sive ambulacrum usui esse potuisse. Est illud veluti loricæ ductus in valli imo, ex quo muris imminentes hostes, cum ex superiore ora sisti amplius non queunt, acrius offenduntur. Sed Breda ab illo quoque defecta, nisi quod inter Auriaci & Guilielmi Comitis stationem eumdem opponeret. Quod casu potius quam consilio evenerat. Quippe cum ad eam oram fundus fossæ elapsis proxime annis expurgaretur, ne nullius evecta terra usus esset, eam huic operi hostes impendere. Namque alias eo haud opus, ob circumjectas paludes & iccirco difficilem accessum. Dum hæc geruntur, Ferdinandi Cardinalis litteræ obsessos solabantur, quibus Venloam ac Ruremundam à se captas, certam auxilii spem, subsidia Germanorum, aliaque æstimatione aut promissis magnifica nunciabat. quæ prælecta in vulgus, in præsens tantum affecere, mox dolori civibus, ac cæteris ludi-

brio

† Affuyten.

* Fausse-braye.

brio erant, ſpe illusâ. Intercepta eodem fere tem-
pore quæ Fordinius ad Ferdinandum dederat, eiſ-
dem, quibus priora, notis. quorum ſententiam
Hugenii felix ſollertia ac labor exploravit. Erat
illa; Res ſuas eo loco, ut meliores optaret. Non »
deeſſe curam ſibi, aut fidem, ſed fortunam. Cornu- »
tum, quod ad Ginekam opus, hoſtium vi expu- »
gnatum. Nihil eorum a ſe intermiſſum quæ tem- »
pori debebantur. Idem ad Hagienſem portam fac- »
tum, poſtquam ter fruſtra fuiſſent obſidentium in- »
ſultus. Burgundionum tamen præ cæteris illuxiſſe »
virtutem. Auriacum, poſt acceptam totiens cla- »
dem, vi trium millium, oppugnationem medita- »
tum. Ea multitudine inferiores ſuos, relicto ope- »
re, in tempore, & prudenter ceſſiſſe. Ad arcem »
non minus acriter rem geri. Ferret ſubſidium, aut »
brevi actum fore. Vineis conditis quaquaverſum »
imminere irruptionem. Omnibus ſe imparem, »
cum uni vix ſufficiat. Supereſſe ſibi integrorum »
militum mille tantum & quingentos. Læſos reli- »
quos, aut cecidiſſe. Decreſcere in dies pulverem py- »
reum; & proinde adigi ſe, blandius excipere hoſ- »
tem quam vellet. Cæterum animi ſatis ſibi & om- »
nibus eſſe. Invaderet modo caſtra hoſtium, qua »
non fruſtra perfringi poſſe ante indicaverit. Quæ- »
dam haud ex fide retulerat, ut triſtia minus eſſent,
quæ inlata; alia, quo ſubmittenda brevi ſubſidia
cunctantibus extorqueret. Quorum illud pro glo-
ria, alterum pro neceſſitate apud credulos erat. Aſ-
ſerebat, impreſſione in cornutam molem a Gui-
lielmo Comite facta, ex noſtris gregariorum du-
centos, totidem læſis, præter majoris dignitatis
quadraginta, occubuiſſe. Quod falſum, cenſa tantum

cadavera XL docuere. Præter iſta adjecerat, foſſam majoris ad arcem operis, Henrici Naſſovii diligentia ſtratam, cum id poſtea demum effectum omnibus conſtiterit; addito, maximum ſibi ex eo metum, cum ob ſitum loci nova propugnacula, ut ad Ginekenſem oram, objicere irrupturis non liceret. Creditum, ad hæc nuncianda impulſum fuiſſe, non tam ut Ferdinandum opinione falleret, quam ne ſpe neceſſarii auxilii luderetur; perſuaſus, haud unquam magnitudinem periculi, licet falsò, apud eos ſatis exponi, a quibus lentitudine conſiliorum vera ferme & præcipua rerum negliguntur. Conſtitit vero, pulveris pyrei non tantum inopia, ſed corrupto evanidoque, obſeſſos tunc laboraſſe. Quippe accenſi qualis laudatur bombus non erat, nitri virtute ſpatio longioris temporis exſtinctâ. Commentarienſis tamen induſtria plurimum hic valuit. Is quidquid flaccidum, quæ neceſſaria immixtis, uſui aptavit; & arti ingens per eos dies ſolis æſtus reſpondit. Cauſſa mali, quod poſt captam urbem nihil ejus pulveris ab Hiſpanis, quanquam ab aliis ſæpe, &, quod ante dictum, Fordinio, monerentur, inlatum. Reperta tunc pondo millia c xxxv; quorum pars maxima inani pompæ ac oſtentationi, excipiendiſque magnatibus, Bredam viſentibus, prodigè, & in nullum rei uſum, impenſa. Quam jacturam ſarcire, etiamſi vellent, vix licebat. Quippe nitri apud Batavos fere ſolos, duntaxat hac tempeſtate, eſt mercatus; & inhibitum, belli inſtrumenta hoſtiles in terras avehere, inominato eorum lucro, qui hujus cauſſa Hamburgenſium & aliena nomina mentiti, neglectâ fide, privata commoda publicæ utilitati anteponunt. Et jam con-

consuetudine ac remissis pœnis magnitudo criminis diluitur. Cæterum, hæc Auriaco brevioris obsidionis spem fecere, intellectâ necessitate quæ obsessos exercebat. Igitur in vineas ducendas labores suos & curas quisque intenderat, Gallis Anglisque honestâ sibi ac utili in publicum æmulatione inter se commissis. Tribunorum, ut vigiliæ obtigerant, pro gloria quisque operi instabant. Novas compingendo operi columellas & destinas adnectere, usus noctium erat. Instaurandis jungendisque quæ concussa aut disjecta, dies dabantur. Majori, quam initio, empti pretio, qui fasces terramque dejicerent. Centum injectis sæpe quinquaginta florenorum merces erat, & periculi auctoramentum. Frequentes enim ceciderant, & ideo liberalitate opus, ut essent qui tanto discrimini se permitterent. Suggestus tormentorum alii aliis additi, quorum vi ad Ginekensem maxime regionem damnum urbi grave illatum. Quorum omnium ea ratio situs erat, ut alis hostilium munimentorum & machinis ad amussim responderent. Horum violentia valli latus admodum concussum; ædes plurimæ solo æquatæ; & transferre sedes incolæ cogebantur. Fistularii quoque glandibus continuo eos impetere jussi, qui è mœnium lorica idem in nostros meditabantur. Inter hæc prostrata fœmina quæ pleno utero tres infantes mortuos effudit. Alia accepto laciniis vestium globo, corpore integro, nuda in publico videbatur. Fractam ejus vim mobilis laxæque rei sinuosis flexibus credidere. Pilis ferreis ignitis (bombas vocant) uno ictu ædes tres ad solum adflictæ. Nec minus Granatarum violentia noxæ erat, paucorum inter cædem; quibus-

dam velut miraculo præsentia inter discrimina servatis. Granatis, quarum haud semel meminimus, ab ejusdem nominis malorum similitudine vocabulum adhæsit. Globus est ex ære aut ferro vacuus, diametro unciarum trium, crassitie metalli quatuor linearum. Sinus pulvere pyreo aliisque refertus: orificio ejus fistula adstructa, cui lenta quidem, sed ignem concipere ac alere nata materia inditur, ne inter jaculatorum manus statim disrumpatur. Bombæ circulo majores, diametro pedis unius, sæpe etiam duorum, eadem mala inferunt. Machinis in aëra mittuntur, lapsuræ quo destinantur. Hæc propter disposita passim per urbem vasa, &, ut, ubi opus, facilius transferrentur, rotis instructa, exstinguendo incendio, aqua implebantur. Dignum memoria est gregarii cujusdam, Petri Trotteri, facinus. Is natione Anglus, & interritus animo,* funibus incendiariis constrictus, inque fossam è vinea demissus, barba primum, mox pectore tenus exstabat, & inter ultima discrimina altitudinem fossæ exploravit, pretio florenorum XL addicto. Compertum tunc Anglis ad pedem valli, reliquas etiamnum virgas IV, spatio pedum XLVIII, & altitudinem fossæ minorem, quò ad valli oram propius accederetur. Quæ omnia, ne Gallis cederent, mox superavere. Henrico Nassovio, qui arci imminebat, multum adhuc negotii supererat, pari cæteris vigilantia ejus ac alacritate, sed opere omnium difficillimo. Alibi iniqua humus paludesque; & cornuta moles major cæteris oppugnabatur. Diversa illi a cæteris & porrecta magis forma. Linearum, quæ duæ, longiorum & in fronte eodem in puncto concurrentium latera erant.

* Lonten.

erant. Mox tamen ad fossam ejus ventum est, latam virgas IX, altam pedes totidem. Cum jam tertiâ ferme ex parte fascibus terraque tegeretur, plena luna intervenit, & impedimento operis hosti expositis fuit. Accedebat mors Slypii, cui cum earum rerum peritia ac usus esset, haud procul Comite glande transfoditur. Sine vinea igitur aqua adeo exporrecta transmitti non poterat. Placuit tum, verso consilio, ab utroque cornuti operis latere in moles duas proximas pertendere. Harum altera pedes tantum aquæ tres in altitudinem attollere dicebatur; quod relatum Comiti creditumque, & transgredi jussis, cum alia experirentur, damno fuit. Læsi eorum XXX; cæsorum erant XX; inter quos Hattumius, optio Rousselii, qui primus, fistulariorum XXX manu hostem aggressus, ad vallum jam devenerat. Proxima luce armistitium imperatum, avehendis sepeliendisque qui occubuerant. Quod dum fit, inde Fordinius, hinc Nassovius, occasione utendum rati, cœpta & progressus operum speculabantur. Inter hos dies vinea fossæ cornuti operis instruenda indicitur, pretio septies mille & octies centum florenorum. Paullo post captum * acclive opus, quod ad fossam urbis interiorem erat: & mox iterum hostes invasere, sed ut modico post intervallo deserere cogerentur. Hinc ad vineam fossæ urbis imponendam itum. Nec minus illa cornuti operis festinata, adeo ut tandem cuniculis vallum ejus subverteretur. Diebus quippe paucis interjectis, compacto ex asseribus ponte, transgressi nostri frontem cornutæ molis invasere, hostibus intra transversi limitis ductum recipere se compulsis. Quæ ipsa & omne opus

* Contre-scharpe.

 cum


Breda.
T. kasteel.
Accessus Comitis Henrici Nassovij.
Approchie van syn Gen: Graef Hendrick.
A. Vinea haud dum perfecta.
B. Suggestus tormentorum.
C. Receptus, stationes.
D. Armamentarium.
E. Pons ligneus.
F. Pons iunceus.
G. Sectiones operum hostibum.
H.I. Seps spinea, pro lorica hostibus.
A. Gaelderij van syn Gen. Graef Hend:
rick, noch niet over gebracht.
B. Batterien.
C. Corps de Guarden.
D. Plaetse van Ammonitie.
E. Brugghe van Plancken.
F. Biesbrugghen
G. Affnijdingh bij den viandt gemaeckt.
H.I. Doornhegghe, welcke den viandt
met Soden opgeset heeft, en
vooreen borstweer met een
blinde gebruckte.

cum adsita mole, incenso cuniculo, nostris cessit. Qui impetus Tiardum Roussellum, cohortis ducem, virum strenuum, vitæ exemit. Henrici Nassovii virtus tum spectaculo ac usui fuit. Ille multiplicato labore non jubere tantum, sed præesse; rapi equo quotiens festinandum, & stationem crepere ubi de summa rei agebatur; interesse periculis, & prævenire; indicere pugnam, aut mutare. Illæsus tamen, felicior magis quam quod caveret. Auctoritatem juveni mite ac tractabile ingenium conciliaverat; quo factum, ut ad nutum ejus studia sua quisque & ardorem componeret. Dum hæc alii exsequuntur, Galli ponte ad molem vineæ a dextra proximam perrupere, eo animo hostem aggressi, ut mox expellerent. Erat pons ille, qui nuperæ in Hulstam, Flandriæ oppidum, expeditioni destinatus, palam factis nostrorum consiliis, aut dilatis, non profecerat. Novæ artis ac structuræ opus, ex vimine, trabibus, & injecto piceo linteo, infartoque cannabo factum; solutile quoque, sed cujus singulæ partes nullo negotio conjunguntur. Pars seu corbis quæque crassa pedem I, lata IV, longa VII, &, si procul vehenda, a duobus gestatur. Adnexæ oris singulis ansæ, per quas missi vectes, & fasciolis subtenti, uncisque sibi continuò inhærentes, partes omnes totumque adeo pontem firmiter compingunt. Dein in fossam paullum dimissus, extimæ oræ reste indito, & altera ex parte in ripam attractus, vallo, ignaris fere hostibus, applicatur. Paucorum quippe hominum & sine strepitu hic labor, dum, ut in aliis, nec malleis opus, nec conjungendo transducendoque ponti nando aut cymba, quibus itrupturi sæpe intelliguntur,

guntur, uti est necesse. Auctor machinæ hostium nonnemo, subacta ad Scaldim classi, & plurimis earum, quas diximus, corbium repertis, cum in usum ac architectum inquireretur, inter captos est deprehensus; & initio contumax, mox minis territus, aut illectus promissis, quidquid rei erat patefecit, libertate & annuo stipendio donatus. Cæterum inprimis gratum Principi hoc novi pontis inter Gallos experimentum, visumque ejus usum alibi etiam præferre. Inter hæc Philippus Gruterus Dircxlandius, Solmensis Comitis protribunus, & Brilæ, oppido Hollandiæ ad Mosam validissimo, impositus, bello & optimarum artium studiis inclytus, suorum alacritatem jussu & exemplo ita accenderat, ut in vineis Anglorum, quos jam Galli prævenerant, vix quidquam desideraretur. & militum plures prædæ avidi convenerant, vi invadendam urbem esse, persuasi; quod factu facile, vallo admodum dejecto. Sed id Auriaco non consultum, cui obsessorum in dedendo mora, quia tueri sua utcunque adhuc poterant, virtus hactenus, nondum contumacia videbatur. Gregarii tamen duo, jussu ducum, medio die, cura vitæ postposita, in superiorem valli loricam adscendere, exploraturi quid operum hostes molirentur. Reversi incolumes, deprehensum a se quendam in vigiliis, & gladio mulctatum; ad Ginekensis insuper portæ oram opera quædam excitata, rettulere. Id facinus magno civibus terrori fuit; & fiducia in solicitudinem vertebatur. Eadem inter obsessos audacia erat, ex quibus milites tres obscuræ noctis beneficio usi, &, post fossam natatu emensam, per stationes nostrorum elapsi Bruxellam se contulere, datis cuique à

Fordinio

Fordinio ad Cardinalem litteris, ſtyli ejuſdem & argumenti; Nihil ſpei ſupereſſe ſi promiſſo totiens » auxilio diutius deſtitueretur. Huc malorum ven- » tum; & deditionem vi hoſtium, penuria rerum, & » eluſa civium patientia metuque urgeri. Ut virtu- » tem hactenus, ita nunc fortunam ſequuturum; &, » quidquid evenerit, tempori, non animo, imputan- » dum. Denique malle ſe, verba hæc, quam negli- » gentiam, culpari. Hæc per eos cognita, qui hoſ- » tium in aula congreſſu ac imprudentia magnatum pro nobis, &, quia tegere animum didicere, ſine noxa, utuntur. Sed irrita obſeſſorum in ſuis fiducia, aliò avectis copiis, & quia inter agendi conſilia dubii, non profutura meditabantur. Acceptum quippe, Ferdinandum potiſſimam militiæ manum ire in Gallos juſſiſſe, qui per Burgundiam Hannoniamque hoſtilia circumferebant; noſtris tamen non omnino poſtpoſitis. In urbes ac caſtella, quæ Scaldi alluuntur, conſilia intendi, pro comperto fuit. Nam miſerant paullo ante Antwerpiam cymbas, pontes, ſcalas, aliaque novæ artis, & in ſubitas irruptiones. Igitur moniti Zelandiæ Ordines & quibus militiæ cura; Viderent ne quid negligentia » acciperent detrimenti. Hoſtem in proximo eſſe, » & expeditum. Denique nocte quavis, altera totius » præſidii manu vigilias obſervarent. Quæ ſerio ma- » gis juberi non poterant, quam cæteri exſequebantur. Miſſæ mox Bergam ad Zomam quatuor peditum cohortes, quæ in naves impoſitæ ſtatim excurrerent, ſi quid apud proximos tentaretur. Et interea de caſtris quoque ad Bredam cogitatum. Aggeres, quibus Marcæ impetus repreſſus, idonei viſi quos adorirentur. Quippe illis perruptis,

 deſe-

deſerendas ſtationes, & in urbem penetraturos ſe opinabantur. Conſiliis tamen auſa defuere, quanquam in eam rem legiones ſex Marchioni Ledæo, magni animi viro, ad Demeram traditæ, reliquis copiis juvando Picolominæo & Balanconio, quo imperatum erat, contendentibus. Erant earum pedites bis mille & trecenti, equitum turmæ quadraginta & tres, numero bis millium æſtimatæ. Auctus tum illis animus capto Ivoſio, agri Lutſenburgenſis oppido, quod Galli, duce Chatilionio, per dies quindecim impugnatum, non multo ante occupaverant. Factum id ab Andrea Cantelmo, unius legionis tribuno, militibus mille adſumptis, ſcaliſque ad muros admotis; quamquam præſidium Gallorum, peditum quadringentorum & quinquaginta, præter duas equitum turmas, numero valeret. Inter hæc diverſa in Belgio ſpargebantur, & facile inter prudentes creditum, quidquid fieri poſſe videbatur. Cadſantam igitur impetere hoſtes velle, fama erat: inſulam haud ignobilem, Sluſam prope, Flandorum urbem, qua ad ſeptemtrionem vergit, vi operum & idonea militum manu inſeſſam, munimentis inſuper aliquot, inter æſtuaria, exſtantibus. Sæpe alias de ea cogitatum, eo inprimis tempore, quo Bredæ obſidionem Spinola moliebatur, dato negotio Carolo a Burgundia, Baroni Wackenio, & Paullo Bernardo Fontano, legioni Walonum militiæque per Flandriam omnem præpoſito. Propter incerta tamen eventus, cum plus metus quam ſpei eſſet, id intermiſſum; æſtimantibus cunctis diſcrimina, ſi tentata tantum non ſuccederent. Quatuor cohortes, quæ in portu Bergano hactenus hæſerant, ut magnis itine-

itineribus eò se conferrent, imperatum. Sed mox ad S. Annæ & Polderæ Namensis castella se recepere, accepto; Scaldi ad Andwerpiam ponte injecto, copias hostiles ex Brabantia in Flandriam transferri. His ita compositis, Zelandiæ Ordinum litteræ, rettulere; Comitem Fontanum, tria militum millia ducentem, & magna cum vi lati fundi cymbarum (earum usus est ubi syrtes & vada) aliisque machinis, Slusam inter & Ardenburgum consedisse; credentibus plerisque, in castellum, * cui a cancris nomen, hæc destinari; aliis tamen, sed frustra, Slusæ metuentibus. Fontanus enim re infectâ mox discessit. Quanto enim minus præsidii nostris, tanto plus curæ erat; & ubi semel inter ancipitia vacillare hostes cœperant, fere decernebant quæ non exsequerentur. Ea tempestate pluviæ frequentiores sollicitum Auriacum habuere. Crescentibus enim Marcæ fluvii aquis, aggeres, quibus alibi obstructus, violentiæ earum cessuros se minabantur. Sed in altitudinem latitudinemque eos continuo exporrigere, & vectibus immissis firmare pro remedio fuit. Interea traductis vineis, vallo nostri insidiabantur. Et facto ad pedem ejus limitum ductu, cuniculi ignaris hostibus exstructi. Quorum orificia, delapsa concusso e vallo terra, semel iterumque initio obstruebantur. Sed tecto ex declivibus & in apice coeuntibus asseribus supra aditum cuniculorum adornato, hæc mala præveniebantur. Quidquid enim deciderat, ab utroque latere excussum. Granatarum quoque vis maxima in operas e vallo devoluta; modico cum nostrorum damno, dum majoribus exstinguendis corpora statim insternerent; minores vero palis in fossam

* Crabbischans.

T 2 dejectæ

dejectæ exstinguerentur. Anxia jam civitas omnia sibi indies arctiora esse dolebat. Sæpe ad arma conclamatum; & præter lamenta ac ejulatus, quæ metus expresserat, nihil inter cives audire erat. Eorum opulentiores ut pro eventu fortunis consulerent, pretiosiora quæque inter latebras abdere nitebantur. Alii effosso domi fundo, quidam capsulis inter angustias contignationum affabre & clam ita factis, ut non nisi densæ trabes sustinendis tecto aut tabulatis esse viderentur; vano sæpe remedio, ubi a prædæ cupidis violentia tormentorum in civium bona inquiritur. Et parum erat, opibus consulere, ubi præsenti periculo vita etiam exponebatur. Ergo vigilantia Magistratus imminenti malo tempestive intervenit, ne ex temeritate inutilis pertinaciæ quidquam detrimenti esset. Coiere in curiam Consules, Senatores, Decemviri, & qui sacris devoti. Expositum illic quidquid pro præsenti » necessitate & afflictæ urbis commodo erat; Mora » quidem hactenus non peccatum, sed, si deditio» nem differrent, summam rerum exponi & inter» verti. Profici patientia ubi remedium intra spem » est; frustra vero in exitium durari. Sponte militum » pacata consilia non esse, nisi urgerentur. Aliam il» lorum & civium conditionem. Animam & cor» pus paucis in diem assibus æstimari; nec periculi » magnitudinem ac ex eâ metum inter egenos esse. » Adirent Fordinium; preces omnium ac querelas » deferrent, non ignavia, sed necessitate expressas. » Turpe illi, dedere urbem, donec ipsi aut contem» nerent pericula, aut dissimularent. Vota civium » cum ipsa necessitate conjungenda. Id gloriæ ipsi, » si aliorum justo impulsu cum hoste pacisceretur;

tur; sibi autem securitati. Quorum anceps apud » dominantes defensio est; robur in consensu ac in- » stinctu multorum esse. Nec secordis videri, fu- » giendis malis ea exposcere, quæ prævenire non li- » cuerit. Hæc prono omnium adsensu audiebantur, & quanquam adultâ vesperâ, in arcem ad Fordinium itum est, ne mora eluderet, quæ sine discrimine differre non licebat. Lecto ex febri incumbentem doluere. Et ita ferme loquebantur; Nec » animus nobis hactenus defuit, nec in te fides, For- » dini. Quidquid civium est, explevimus, &, si usus » ferat, jam nunc quoque in hostem imus. Alacrita- » tem militum ac tuam, & indefessum animum com- » mendamus. A fortuna tamen deserimur, ut vi- » des, & quæ necessaria bello sunt; defecere. Civi- » tatem igitur æquis conditionibus dedi poscimus, » licet inviti. Id nobis scelus esset, nisi extrema im- » minerent. Et necessitatem frustra apud gnarum » ejus dissimulamus; nequidquam ambitiose dilatis » quæ jam evenerint, & morâ injectâ qua exitium » urbi festinatur. Ut pro magnitudine animi tui » est, contemnere mala, quæ avertere possis, ita, qui- » bus non sufficias, ex merito æstimare. Si cohiben- » dis hostibus pares fuimus, cur in tempore non sti- » timus progressum? si invalidi, quid perire malu- » mus, quam pacisci? Civium interest, ne miseri sint, » quia nolunt esse pertinaces; & militum, ut Regi, » ac, ubi occasio tulerit, melioribus serventur. Sa- » tius quippe, præsentem calamitatem solatio esse, » postquam officio satisfactum, quam argui contu- » maciam, qua pessum imus. Parum esset, inter in- » certa casuum versari, nisi certa & ultima urgerent; » hostibus intra mœnium viscera jam grassantibus. »

» Nec supereſt fiducia in ſubſidiis externis, quæ cum
» validiora, & infirmiores hoſtes eſſent, non ſucceſ-
» ſerint. Miles quoque tuus defecit, continuatis vi-
» giliis oppreſſus, detritus. Inquies civis, &, ſi per-
» ſiſtimus, domeſticis ſeditionibus agitatur. Quid
» verò feſſi & deſtituti adverſum integros, contra
» ſpem noſtram & clementiam hoſtium pugnamus?
» Nec jam conjuges aut parvulos noſtros loquimur,
» ſi injuſta rogamus. Conſule fidei tuæ, cui ſatis-
» factum; & ſalus urbis, non exitium, mandatur.
» Conſule tempori, quod forſan perdendis nobis eſt
» dum intercedimus: neceſſitati denique, qua major
» eſt quiſquis ceſſit. Fordinius, quanquam eadem
ſentiret, alia tamen loquebatur; oſtentando animo,
ſive ut novas adhuc preces extorqueret. Ut, qui
primò abnuerat, mox ſæpius interpellatus, ad per-
mittendam deditionem cogi videretur. Proximo
tamen die de poſtulatis eorum militari in Senatu
acturum ſe addicebat. Prætor urbis, quod pariter
cohortem duceret, in eo ferendæ ſententiæ jus ha-
bebat. Proinde eadem ad ipſum quoque Conſules
rettulere, addito; è ſuis aliquot Senatui huic inter-
eſſe opportere, quod non de civium minus, quam
militum commodis ageretur. Vt juſſum erat, con-
venere militiæ præfecti, & Fordinius diſſeruit;
» Vrbanum quidem magiſtratum; velut depoſitâ
» ſpe, deditionem præſentibus præferre. Pluris ta-
» men fidem in Regem & exiſtimationem ſe factu-
» rum. Hoſtem in proximo eſſe, ſed nondum victo-
» rem. Turpe, ſi extremis haud tentatis Breda dede-
» retur, vano de obruenda metu. Vallum cuniculis
» necdum ſuffoſſum; urbem quoque peculium Au-
» riaci, & iccirco curæ fore, ne ſpoliis militum cedat,
aut

aut ferro ſubvertatur. Et ſi qua ingruant, integrum » adhuc eſſe inter arma paciſci. Facilius dedi urbes » quam occupari. Dierum aliquot moram interpo- » nere, ſibi conſultum. Auxilia externa quidem ex- » tra ſpem eſſe, ſed aliunde quaſi ex machina, con- » clamatis rebus, ſubinde adferri. Magnam in bello » temporis æſtimationem. Momento ſæpe eadem » corrigi aut interverti. Diſtinendum hoſtem, quan- » diu poſſint, ne, ſi fecerit, ad alia ſe convertat. Nec, » hercle, ſimplices ſuas curas eſſe; & prona aliis con- » ſilia, ſed quorum rationem ipſe redderet, ſi ſeque- » retur. Dicendam ſibi cauſſam illis, apud quos fer- » me pro exitio eſt, tantum accuſari. Cæterum ipſi » in medium conſulerent, &, ſi expedire intelligat, » ceſſurum neceſſitati. Varia tunc & anceps omnium » deliberatio erat, dum hinc officii, inde periculi monebantur. Valuere tamen eorum vota, qui tradendam urbem cenſebant, exacto a ſingulis juramento, ne id cuiquam ante ſtatum diem proderetur. Indicatum igitur magiſtratui, placuiſſe quæ ex omnium ſecuritate forent; nec quid ultra exquirerent; callide id cavente Fordinio, ne, circumlata deditionis fama, militaria munia ab improvidis aut petulantibus deſererentur. Et conſignandis, quæ ad Auriacum referrent, interea tempus erat. Forte inter iſta noctis vigiliæ ad Ginekenſem oram apud Anglos Herberto, Gallos Hauterivio evenerant. Herberto quidem Auriacus injunxerat, ut, præcipiti nocte, militum aliquos vallum conſcendere juberet, explorandis hoſtibus, quid in tanto diſcrimine animi aut virium eſſet. Sed id intermiſſum, ne excitati forte in operas noſtrorum irruerent; &, quidquid factum, demolirentur. Vix hora diei

ſeptima

ſeptima erat, cum in proximo propugnaculo tympanum pulſari inter hoſtes cœpit. Herbertus verò, quid id ſibi vellet, ſcire avidus, ad extimam vineæ metam eſt progreſſus; monentibus aliis, præſenti periculo, centurionum aliquo ſubmiſſo, ſe haud offerret. Igitur noviſſima hoſtium conſilia magna omnium lætitia tunc aperiebantur. Quippe vigiliis eorum præpoſitus, ut juſſum erat, a Fordinio mittendum tympanotribam ad Auriacum indicabat; addito, ne interea hoſtilia intentarentur. Annuit id Herbertus: & ex æmulatione famæ Anglorum Gallorumque certamina patuere, utriſque lætæ rei nuncium Auriaco ſiſtere vehementer cupientibus. Ad Anglos initio deflexit; mox incondito clamore excitus, ad Gallorum ſtationem ſe converterat. Auriacus intellectis utriuſque gen-
„ tis ſtudiis; Fruſtra de gloria, dixit, inter eos con-
„ tendi, qui in occupanda hactenus convenerint. Se
„ eadem debere ſingulis, quorum eamdem virtutem
„ ſit expertus. Lætum ſibi hunc finem rerum, ac ex
„ omnium laude eſſe. Levibus illis & externis nemi-
„ nem poſtponi; nec majores cæteris eſſe, qui ea nunc
„ præſtiterint, quæ omnes merentur. Mox dictus conventui dies, quo de urbe tradenda ageretur; datis utrimque obſidibus, a Bredanis quidem Mathario Burgundo & Everwinio Belga, ab Auriaco, Gentilotio & Sombierio, Gallis, cohortium pedeſtrium ducibus, in fidem eorum quæ agerentur. Curandis pactis è magiſtratu lecti, Prætor; Venius Præſes, Hegelſonius Conſul, Elckenius, qui urbi a ſecretis, addito Decemvirorum nomine Ryenio; ex ordine ſacro, Præpoſitus Monaſterio, & Canonicus Malderus. Qui trans foſſam
urbis

urbis cymba vecti ad Auriaci ſtationem ſe contu-
lere. Tradita ſcripto quæ obtinenda crediderant;
& quibus annuere non licebat, maxime laudaban-
tur. In ſplendorem ac uſum urbis eſſe quidquid po- »
ſcerent. Publico detractum iri, ſi quid negare- »
tur. Quæ de exercendæ religionis libertate lo- »
querentur, haud aliena eſſe, ad pacem civium & »
augendæ multitudini profutura. Denique Bredam »
ſuam, & ex indulgentia amorem omnium ac pro- »
pria commoda cogitaret. Quod Venloæ, Rure- »
mundæ, Trajectoque ad Moſam nuper datum, »
cur ſibi negaretur? Auriacus ſecuros eſſe juſſit, ad- »
dictis quæ ex æquo & Repub. poſcerent. Mox re-
deuntibus expoſitum quidquid placuerat. Quod
cum procul a deſtinatione eſſet, Venius Malde-
ruſque in urbem, cum cæteris acturi, ſe recepere.
Poſtero die in pacta conventum eſt. quæ memo-
riæ temporum, & ut bene habitæ victoriæ exem-
plum illis eſſent, qui ſucceſſum ejus vel licentia vel
ſeveritate nimia evertunt, ex fide ſubjeci.

I. Utique Præfectus urbi, militiæ duces, gre- »
garii milites, etiam illi, qui, partibus Fœderatorum »
deſertis, Regi Hiſpaniarum ſe addixerunt, urbe ex- »
eunto; arma, ſupellectilem evehunto; more militiæ ».
recepto utuntor; tympana pulſanto, ſigna expan- »
dunto; præter fomites accenſos pilas in os indun- »
to; vita ac bonis ſalvis Mechliniam ſe conferunto. »

II. Machinas majores quatuor, & duas funden- »
dis Granatis factas ex omnibus pro arbitratu eli- »
gunto, avehunto. Quæ ad ea ſpectant, adduntor. »

III. Equi, carri, vectores trahendis machinis »
præbentor. »

» IV. Quidquid bellici apparatus & publicæ an-
» nonæ ad Regem Hiſpaniarum ſpectat, bona fide
» tradunto. Quæ ante ſextum Octobris, quo de
» urbe tradenda agi cœptum, aliis vendita, excepta
» ſunto. Emptoribus eâ de cauſsâ lites non inten-
» tantor.

» V. Quotquot militum læſi aut ægri, donec per
» valetudinem abire licuerit, in publico Noſocomio
» ſubſiſtunto. Curata valetudine cum omni ſupel-
» lectile Mechliniam tuto avehuntor.

» VI. Equorum, vehiculorumque, transferen-
» dis impedimentis, quantum ſatis, præfecto urbi,
» militiæ ducibus, gregario, permittitor. Qui ab-
» ſunt, defunctorum heredes, læſi, transfugæ, eo-
» dem benificio utuntor. In carrorum vecturam in-
» quirere nemini fas eſto.

» VII. Si qui navibus uti volent, nullis in eas
» factis impenſis, eo flumine, quo vulgo iter fieri con-
» ſuevit, utuntor. Vectigal dare non debento. Quos
» volent, cuſtodes conſtituunto. Bona nullibi loco-
» rum ſiſtuntor. Nulli ea excutere liceto. Naves,
» donec Mechliniam appulſæ, haud mutantor.

» VIII. Præfectus urbi, tribuni, centuriones,
» Senatus militaris aſſeſſores, milites, & quotquot ſti-
» pendia Regis Hiſpaniarum merent, qui quotve
» ſint, etiam ordinis ſacri, eorum viduæ, liberi, ad
» unum omnes, proximo biennio poſt rata hæc pac-
» ta, ædes, fundos, obventiones, reditus, ſive Or-
» dinum Brabantiæ, ſive urbis, ſive aliorum nomini-
» bus debitos, res denique quæcunque in bonis ſunt,
» mobiles aut immobiles, pro arbitratu ſuo idonee
» transferunto, oppignoranto, vendunto, alienanto.
Redi-

Reditibus quoque, eo quod in legem elocationum » convenerit, usufructu, bonis acquisitis seu acqui- » rendis, quæ quantave sint, eodem biennio utuntor, » fruuntor. »

IX. Utique omnium uxores liberique, eodem „ biennio urbem incolere permittuntor. Bona sua „ mobilia aut immobilia curanto. Fisco nihil in ea „ juris esto. »

X. Milites & qui eorum honores gesserint, de- „ bitorum caussa nulli aut jam aut proximo biennio „ sistunto; nulli bonis eorum manus injiciunto. Læ- „ sis ægrisve eodem benificio frui æquum esto. Si „ quas petitiones habeant, actionibus experiuntor. „

XI. Milites qui quotve obsessa urbe hinc inde „ capti, lutro non soluto, dimittuntor. Pro impen- „ sis tamen, more & pretio recepto, satisfaciunto. „ Ecclesiarum Pastores & quotquot sacri ordinis, qui „ in vinculis sunt, eadem libertate donantor. „

XII. Spolia, prædamque omnem ante obsidio- „ nem aut deĩn hosti ablata, jure proprietario quis- „ que sibi habeto. Nulli propterea ex jure manum „ consertum agunto. »

XIII. Vbi in pacta hæc conventum fuerit, „ Præfecto urbi tabellionem ad Cardinalem Infan- „ tem Hispaniarum ablegare liberum esto. »

XIV. Ratis iisdem pactis, Præfecto urbi militi- „ busque biduum permittitor. Eo omnia itineri pa- „ ranto. Decimo die Octobris, primo mane, urbe „ exeunto. »

XV. Toto hoc biduo ex urbe in castra, ex ca- „ stris in urbem excurrere, rixis discordiisque aver- „

» tendis, nemini liceto. Quisque intra limites suos
» se contineto. Nemo munimenta sua promoveto.
» Nulli hostilia inferuntor. In eorum tamen, quæ rata
» sunt, fidem, obsides utrimque dantor, mittuntor.

» XVI. Ab Auriaco obsides duo præfecto urbi
» abituro, & totidem Auriaco a præfecto urbi per-
» mittuntor. Quam primum carri equique Mechli-
» nia reversi fuerint, obsides utrimque dati dimit-
» tuntor.

» XVII. Qui, quotve militum, aut militiæ præ-
» fectorum, arma, naves, cymbas, aliave bello ido-
» nea, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero
» possident, ita possidento; &, si visum fuerit, vendun-
» to, aut in alios transferunto. Nec emptores alios-
» ve eâ de caussâ convenire, cuiquam jure concess-
» sum esto.

Ista quidem militum fuere. Et pari lenitate cum Magistratu urbano ex civium commodo agebatur, paucis modo, ex iis quæ petita, inductis. quæ adtexere cæteris, operæ pretium fuerit.

» I. Utique delictorum omnium quæ in publi-
» cum aut privatos commissa, quæ quantave & quo-
» rumcunque sint, perpetua amnestia esto. Nemo
» injuriam sibi factam queritor. Nulli, si quid ante
» hunc diem factum est, objiciunto, vendicantove,
» aut ullo alio genere persequendum curanto. In
» posterum autem ex fide omnes agunto.

» II. Duo sacrarum virginum Cœnobia, eâdem,
» qua ante urbem ab Ambrosio Spinola anno CIↃ-
» IↃ CXXV captam, libertate gaudento.

» III. In Magistratum urbanum qui spectatæ vir-
tutis

tutis & primi inter cives loci, more in Brabantia „ recepto, & priſco ritu, leguntor. „

IV. Qui quæve ſacri ordinis ſunt, bona ſua, ut „ anno CIↃ IↃ C X X V, poſſidento, curanto. Quot- „ quot eorum earumve urbe exceſſerint, bona ſua „ evehunto; ædes, perinde ac cives cæteri, pro arbi- „ tratu vendunto. „

V. Bonorum, quæ ad Noſocomium, Orpha- „ notrophium, Gerontocomium, aliaſque ejus ge- „ neris publicas ædes ſpectant, uſus ac cura penes „ cujuſcunque religionis cives eſto. „

VI. Vrbi privilegia ſua ac immunitates inte- „ gra, illibata ſervantor. Vectigalia, præter illa quæ „ inter annos CIↃ IↃ X C & CIↃ IↃ C X X V indicta, alia „ non exiguntor. „

VII. Civibus omnibus abſentibus, præſenti- „ bus, qui quotve ſint, etiam illis, qui publicis mu- „ neribus functi, cum omni familia, ſupellectile, re- „ liquiſque bonis, quo volent, ex urbe migrare, „ integrum eſto. Toto triennio id ipſis liceto. Inter- „ ea quaqua libere excurrunto, commeanto, agun- „ to; & ſi alio locum domicilii transferre voluerint, „ quovis itinere tuto utuntor; vectigalibus, porto- „ riis & inquiſitioni obnoxii non ſunto. Bona ſua „ pro arbitratu adminiſtranto, vendunto, pignori „ tradunto; & quidquid jure competit in ea liceto. „ Defunctorum bona inſtitutis hæredibus, aut pro- „ pinquorum ſanguine proximis, ab inteſtato cedun- „ to. His, qui in agrum communem conceſſerint, in „ urbem, cum viſum fuerit, Principe aut præfecto „ urbi conſulto, reverti liberum arbitrium eſto. Civi- „

V 3 bus,

„ bus, qui occupata ab Hispanis urbe, alio concess„ serint, eadem jura ac benificia indulta sunto.

„ VIII. Eodem triennio in urbes ac ditiones ho„ stium, cum volent, proficiscuntor, ad urbem re„ vertuntor; præfectum tamen urbi semper consu„ lunto.

„ IX. Pastores aliique sacri ordinis urbe excedun„ to. Ruri, qua diversæ etiam aut neutrius partis „ est, donec Ordinibus secus visum, non agunto.

„ X. Quidquid a Magistratu urbis & curia censi„ tum, decretum, ita uti censitum, decretum est, ra„ tum esto. Quidquid contractum, ita uti contrac„ tum est, servanto.

„ XI. Utique rationes publicorum Quæstorum „ datæ acceptæque, datæ acceptæque sunto. Monu„ menta feudorum, scripturæ, & quæcunque Prin„ cipis, quibus jussum fuerit, traduntor.

„ XII. In publica urbis opera, nova aut instau„ randa, & militum commoda, quæ olim ad annum „ usque CIↃ IↃ C XXV, in posterum cives conferunto.

„ XIII. Militem cives hospitio excipiunto. Pu„ blico ære, ut alibi usus est, Ordines illis satisfa„ ciunto.

Cæterum, hæc modo permissa, a reliquorum petitione depulsi, querebantur; persuasis aliis, quædam abnuenda fuisse nimia poscentibus. Et quia quæ obtineri forsan potuerant, cum aliis, quæ præstare integrum haud erat, conjuncta, istorum pariter repulsam patiebantur; ignari, haud excludi studia victoris, & clementiam ejus, non damnum, aut sinistram in vulgus famam, sollicitari debuisse. Onera

vecti-

vectigalium, quæ ad tempus deprecabantur, remiſſa non ſunt, ne in alios exemplum iret; facile irritatis eorum precibus, qui eadem patiuntur. Ad hæc cæterorum quoque, quæ negabantur, ratio erat. Ne, ſcilicet, nimia civium licentia aut æſtimatio victoriæ apud plebem, aut ſecuritas captæ urbis intercideret; cum vana ſit indulgentia, qua pretium facti perit. Sed &, ut principum, arcana Auriaci conſilia erant, exempla hoſtium ſequuti; ſive quod paria facere tuendæ auctoritati nonnunquam ſit, illis fere neglectis, qui juſta talione haud utuntur; ſive monendis hoſtibus, quò ab iis abſtineant, quæ mutata fortuna ipſi ſæpe inviti experiuntur. Ac hæc quidem laudata ſemper in illis, quorum æquitatem ex arbitrio dominantium & magnitudine rerum metimur. Spinola Ambroſius, inſtituto ſuæ gentis, a qua majorum placita, quanquam mutatis nunc temporibus, & iccirco mollius habendis, omnium amori præponuntur, publicum religionis cultum & ſepulturæ jus ſacris in locis flagitantibus olim abnuerat. Quod in recenti memoria nunc erat, donec paria uſu occaſionis licerent, dilatum. Accedebant eadem Ruremondanis ac Venloenſibus nuper admodum a Ferdinando negata; quanquam deditis, alliciendis cæterorum animis, velut mutato domino, non fortuna, omnium libertas ſub Fœderatorum imperio permiſſa fuerit. Sed tamen integra inter hæc manſuetudinis Auriaci fama, dum Bredani, quæ ex neceſſitate & commodo potiti, paucis inductis, aliis non urgerentur. Præfectus urbi machinas majores ſex flagitaverat, & quatuor tantum ex pacto permittebantur. Duæ tamen additæ, ſponte Principis, ne plures quam

Spinola,

Spinola, qui quaternas modo abeuntibus nostris indulserat, debuisse videretur; accepta lenitatis gloria ex iis, quæ, sibi servata, pacto exemerat. Acriter quoque Fordinius urserat, ut ante quam de urbe tradenda ageretur, e suis aliquem ad Ferdinandum quantocius mittere liceret, qui denunciatis quæ evenerant, veniam ejus auctoritatemque ineundis pactis & præsenti necessitati impetraret. Nec id tentatum, tam facilitatis Auriaci fiducia, quam agnoscendæ supremæ autoritatis caussa, cui successus potius quam conatus defuisse videretur. Sæpe enim pro securitate est vel tantum petiisse; quod solum providis relictum, ubi cætera aliorum arbitrio dispensantur. Igitur contra Fordinium Auriacus pronuntiavit, temporis æstimatione, cujus momenta singula inter conatus hostium & insidias ponderantur. Tum verò decimus Octobris dies, ultimus hostili præsidio indictus, diebus quatuor interjectis, quibus, quæ exportanda, convasarentur, & sua quisque expediret. Interea de solito vigiliarum ordine nihil apud utrosque remissum, obversantibus exemplis, quæ petita acceptaque deditione sæpe dolo segniter agentibus nocuere. Rari in urbem admissi, ne, aliis temere facta suorum jactantibus, aliis ob ludibria infensis, ad manus deveniretur. Quippe sicut turpe victis haud erat, postquam fidei satisfactum, se dedidisse, ita ex modestia est omnis victoriæ fama; quæ lascivia castrensis vulgi, dum fortunæ modo favor vel iniquitas expenditur, fere postponi consuevit. Sales tamen & facetiæ militares inter æmulos, sed sine noxa, quia congredi non poterant, audiebantur. Inter ista Auriacus Iohannem Bossium, fidei expertum & milita-

militarium operum peritia insignem virum, in urbem ablegat, quid bellicæ aut alterius publicæ annonæ reliquum esset, inquisiturum. Namque metus erat, ne privatis venum exponeretur, quod belli jure victoris nunc erat; sic fere plerisque animatis, ut commoda hostium deterere malint, postposita æquitate; quam inter arma & nata ex iis pacta haud ita observandam arbitrantur. Itum igitur in horrea publica, &, quæ in iis condita, notabantur. Reperta est ingens frumenti copia, quæ annuæ obsidioni tolerandæ inter multos sufficeret; perpetuo hostium instituto, militi † panis quantum satis semper offerre, reliquis stipendiis, donec commodum fuerit, dilatis. Quo fit, ut vitæ sustentandæ nihil fere desit, & pariter prospectum urbibus, ne fame unquam ad deditionem cogantur. Modios tamen aliquot inter cives vendere, colligendæ Regi pecuniæ, post pacta conventa Fordinius occœperat. Quod mox compertum Auriaco, &, quia præter fas ac ordinem erat, seriò vetabatur. Quæ ad belli usum facerent modica, situ ac rubigine propemodum attrita, inveniebantur; mirantibus omnibus, tam negligenter Bredam habitam, in cujus tamen præsidio utilitas ac fama publica versabatur. Culpa omnis in multitudinem ministrorum rejecta, quorum cum singulis eadem sit cura, omnia negliguntur; majore diligentia paucorum ac fide, inter quos, aliter ac inter plures, ob aliorum nequitiam, singuli non excusantur. Inter alia, censæ tormentorum machinæ, diversi ponderis, ex ære aut ferro, LV. Tandem in urbem missi currus ferme octingenti, quibus impedimenta abeuntium veherentur. Illucescente

† *Ammonitiebroods.*

ſcente ſtato jam die, contulere ſe ad portam urbis cohortes duæ, prætoria Principis, & quæ Iacobi Wytſii erat. Qua itineri hoſtium via ſternebatur, præcipuarum legionum centuriæ, expanſis ſignis, utraque ex parte, in pompam ſimul & præſidium adſtabant: egregia manu, & a qua ſuperari ſolatio ac pro gloria victis erat. Prodiere illi ſub meridiem, compoſito agmine: in cujus fronte vexilla ſexdecim, & mox tria inſuper, diſtinctis duobus ſupra nonaginta ordinibus, quorum ſingulis milites quinque impoſiti, ſolito more præferebantur. Placuerant coactæ in unum cohortes, ne ſingulæ diviſæque, læſis multis aut exſtinctis, quibuſdam fraude ducum non conſcriptis, nimis modicæ viderentur. Exinde impedimenta, machinæ majores, aliaque, confertim ſequebantur. Poſt quæ ſub vexillis octonis tributus iterum miles erat. Inter alios Gomarus Fordinius ſpectaculo fuit; in quo, licet hoſte, militarem audaciam & indefeſſi animi fidem quiſque laudabat. Morbo afflictus hactenus, rheda vehebatur; donec, cum ab Auriaco abeſſet propius, conſcenſo equo, & mox deſiliens, ad eum deflecteret. Et quævis ibi comitatis officia utrimque oblata ſunt. Auriacus Fordinii virtutem, hic viciſſitudines rerum & belli caſus, pro gloria aut ſolatio loquebantur. Agmen clauſere Hiſpanorum Italorumque centum & quinquaginta. Militum numerati ad mille & ducentos. Inter quos ut veterani plures, ita etiam tyrones erant; quorum temeritati nihil arduum; & pro exercitatis ſunt, cum a peritis rerum & contumacia obſequii ducuntur. Qui acceptis vulneribus impares viæ, in publico Noſocomio, curandæ valetudini, plures relicti, &, tan-

tanquam e nostris essent, nihil eorum, quæ necessaria, desideravere; facili comitate, justis post pugnam odiis depositis, amorem, velut in homines, præferre, & amplecti illos, qui non cum hoste jam, sed cum anima luctantur. Decumbebat inter illos Burgundus quidam, gregarius miles, præfracti tamen animi & laudabilis exempli. Obsessa urbe, pedum dexter & sinistra manus ferro ceciderant, perfossoque aliis adhuc vulneribus corpore, inter miserrimos erat. Lamenta adstantium solo adspectu provocaverat, cum erecto paullum corpore exclamat; Cur vulnera sua magis plangerent, » quam fidem commendarent? Cernerent triste aliis » spectaculum, non sibi, post duras hyemes, exerci- » tas æstates, &, præter modicum panis, aliquamdiu » stipendium negatum. At vero, quanquam muti- » lato corpore, integrum adhuc sibi animi robur. » Cernerent truncum obnoxium Regi, &, si vellet, » pro obice, sistendis hostibus, profuturum. Haud » sibi miseram hanc vitam, cujus etiamnum usus fo- » ret. Tantum sibi ex eventu solatii, quantum ca- » lamitatis; ita imbuto semper animo, ut malis in » constantiam, prosperis pro Repub. uteretur. Ex- » cepta inusitatæ fidei vox est; quæ tamen ignavis ex inconsulta temeritate esse videbatur. Cæterum abeuntibus nihil ludibrii aut injuriæ à quoquam inlatum; & hostium velut inter socios iter erat. Ipsi quoque Diderico Bosschio (id à patria Brabantiæ urbe cognomen) parcitum, novissima quidem exempla merito; sed datæ fidei major, quam scelerum ratio erat. Qui transfuga primum, mox latrocinio infamis, desperatis rebus & compositæ militiæ contemptu, in quamvis crudelitatem cum

odio omnium ac damno hactenus utebatur. Vacua sub vesperam hostili præsidio urbe confertim in eam ab omnibus festinatum. Namque tanta undique multitudo ad spectandum convenerat, ut Breda, ipsaque adeo castra, angustiis laborarent; & hospitia, victus, alia, petentibus aliquando deessent. Postero die sacris bis operatum. In ædis aditu tabellæ duæ, monumenta rerum a Spinola gestarum, spectabantur. Earum uni olim inscriptum; AMBROSII. SPINOLÆ. VIGILANTIA. BREDA. EXPVGNATA. Alteri vero; PHILIPPVS. HISPANIÆ. REX. GVBERNANTE. ISABELLA. CLARA. EVGENIA. OBSIDENTE. SPINOLA. HOSTIBVS. FRVSTRA. IN. SVPPETIAS. CONJVRANTIBVS. BREDA. VICTOR. POTITVR. Quas a quibusdam sublatas, mox reponi Auriacus jussit, gloriam suam hostibus haud negandam ratus, sive ut comparatione major huic meritò quæreretur. Nam haud multo post tabella dedicata, in qua legebatur;

AVXILIO
SOLIVS DEI,
AVSPICIIS
CONFOEDERATI BELGII,
FERDINANDO AVSTRIACO
HISPAN. INFANTE
CVM INGENTI EXERCITV
FRVSTRA SVCCVRRENTE,
A XXIII. IVLII
OBSESSAM,
A XIIX. AVGVSTI
OPPVGNATAM,
FR. HENRICVS PRINCEPS
ARAVSIVS
BREDAM EXPVGNAT
SEXTA OCTOBRIS.

Cupidè

Cupidè ab omnibus ſpectata & ſtupori fuere illuſtria monumenta, ac ex veteris artis peritia olim facta Mauſolæa Engelberti primi ſecundique, ac hujus nepotis Henrici, Ioanniſque Naſſoviorum. Tradit Hermannus Hugo. cætera diligens ſcriptor & accuratus, alterum eorum direpta Mariana ſtatua mutilatum, Sibyllæ Stylſiæ, conjugis Henrici Boxhornii, inſtinctu. Ad quæ memoranda ſiniſtra fama, aut factionis ſtudium, a vero eum deflexere. Quod civium, qui ſuperſunt, conſcientiæ, & fidei rerum, pietati denique in aviam maternam debui. Aliquot poſt diebus interjectis, ſummo omnium applauſu, exceptus Auriacus fuit. Magnitudinem interim victoriæ jam circumtulerat paſſim fama, & hoſtes, vario animorum motu, ut inter triſtia, inprimis exercebat. Clam & inter abditos diſſerebatur; Annos ſingulos novis cladibus onerari, ac » ſi augendis malis bellum gereretur. Olim quidem » ancipiti alea pugnatum; & ſubinde bona fuiſſe, » quibus Rempublicam ſolarentur. A ſolis hoſtibus » fortunam nunc ſtare, & nullas partes ſuas, niſi ut » quotidie turpiter vincerentur. Simul cum Am- » broſio Spinola defeciſſe publicam felicitatem. Col- » ligi ex eo magnitudinem viri, & pariter invidiæ, » cui ceſſerit, qui ſolus par rebus erat. Submittere au- » tem ignaros rerum, quid aliud, quam ſi Reſpubl. » deſereretur? In regio ſanguine auctoritatem qui- » dem eſſe, ſed peritiam rerum apud exercitatos. » Ducem hoſtium bellandi veterem & caſtris innu- » tritum, ut in iis feliciter conſeneſceret; & pro mag- » nitudine ejus facere quod contemneretur. Aliun- » de & procul conſilia peti, quæ in promptu & præ- » ſentium eſſe debebant. Labi interea tempus & »

» occaſionem. Longum eſſe, in Hiſpania exponere
» re publicas neceſſitates, longius adhuc, deliberari.
» Tunc demum fieri agendi poteſtatem, cum nihil
» poteſt auderi. Id compendium hoſtibus. Rapi to-
» tas Provincias; in prædam ire validiſſimas civita-
» tes, ac ſi deeſſent ad quos cura ſpectaret. Locum
» ſibi prius quam hoſtem defuturum. Bredam infi-
» nitis olim ſumptibus expugnatam; quid vero ef-
» fectum, niſi ut neglecta nunc vinceretur? Turpe,
» non uti eo quod acceperis, turpius, non tueri. For-
» dinio aut militi ejus nec animum defuiſſe, nec vir-
» tutem. Quæ tamen vana & oneri tantum ſunt, ſi
» a neceſſariis deſtituantur. Id quoque Sylvæ Ducis
» deditionem properaſſe. Cur non prævenirentur
» mala, quæ ſemel nocuere? Omnibus exui, qui nec
» ſuis, nec aliorum exemplis moventur. Miniſtros
» Regis plures, paucos ex fide, & tam pronos illos
» avaritiæ negligentiæque, quam procul a pœna eſſe.
» Olim penuria eorum, nunc copia laborari. Qui
» privatim compendium faciant, publico ære cum
» dominantium exitio ali. Quid reliquum, ſi ſic
» porro agatur? Eâ nunc rerum neceſſitate ſe urge-
» ri, ut nulla amplius clades, niſi cum jactura om-
» nium, queat inferri. Tam modica ſupereſſe hoſti-
» bus, quæ vincerent, & ſibi, in quæ peccarent. Ita
accenſa, æſtimatione vulgi, & inter prudentes quoque,
publica mala; nequidquam imperato illis ſilentio,
qui licet metu pœnæ palam tacerent, res
ipſæ loquebantur. Erant tamen qui acceptam cla-
» dem vanis ſolatiis interpretarentur; Magnis ſump-
» tibus ceſſiſſe hoſti, quod ex uſu Regis non erat.
» Habitum Bredæ per tot jam annos ingens militiæ
» præſidium, quo nihil effectum. Alibi id & majori
hoſtium

hostium incommodo nunc posse impendi. Deserendam urbem fuisse, quæ non prodesset; nisi quod servanda fuerit hostibus maximo impendio expugnaturis. Horum victorias nihilominus pro clade esse, & ærarium everti. Quid vero his gloriam, Regi vero ludibrium publicæ famæ offerrent? quippe illam, quanto majori cum periculo inter dubia bellorum obtinetur, tanto minus apud prudentes æstimari. Erant quoque, qui, quanquam adversæ partis, bellorum tamen pertæsi, continuatos rerum successus nostris gratulabantur; rati, hoc tantum pacto pacis studia posse impetrari; illis, graviora sibi indies metuentibus; his, post accepta quæ ad gloriam faciunt & securitatem, felicia bellorum & impensas paci facile postposituris. Populus tamen Fœderatus bona sua ex merito colligebat. Captâ Bredâ, proxima Hollandiæ Zelandiæque ora ab hostium excursionibus tutissima reddebatur; & in Gertrudisbergam, Clunderam, Wilhelmostadium, Bergisomium, aliaque nostra oppida eandem in ripam exporrecta, aditus fere omnis præclusus erat. Breda enim hactenus navigantium securitati insidiabatur; & militi ejus, acceptis, vel delatis ad Swaluam aut Prinslandiam cymbis, quæ remis impellerentur, quotidie grassari integrum erat. Nec enim Marcâ in fluenta publica iter datum, ad ostium ejus Blaecam castello nostrorum posito. Quanquam raro admodum damna inlata, metu supplicii, quod atrocissimum hostibus imminebat, si caperentur. Instituto quippe Fœderatorum pariter ac diversæ partis invaluit, capitis pœna sævire in illos, qui extra communem & utrisque patentem agrum interioribus in agris & fluentis circum-

jectis

jectis deprehenderentur. Quo tutiora illa, quæ non nisi cum maximo grassantium discrimine frequentantur. Erant quoque dispositæ passim bellicæ naves, ad quas sub vesperam fere, si ventus aut æstus peragendo itineri non sufficerent, nautæ se conferre consueverant. Unde aliquando a Bredanis illi modo intercepti, qui contemtu periculi, quod raro evenerat, parato semper receptu non utebantur. Ad hæc, capta urbe, circumpositis oppidis minus discriminis imminebat, amoto hostili præsidio; quod ut agrum omnem infestiorem reddiderat, ita ex insidiis facillime proximis incumbebat. Quippe temporis progressu incautiores plerique redduntur; dum quæ metum initio injecerant & curam, quia dilata aliquamdiu ab hostibus, postremo contemnuntur. Nec parum situs loci pretium victoriæ intendit. Namque ejus præ cæteris usus est subito in hosticum erupturis, dum hinc ex Hollandia Zelandiaque copias quasvis conferre, inde per Campiniæ agros in Brabantiam omnem ingruere, est opportunum; plura semper obtinentibus eorum consiliis, quorum ignaris hostibus raptim fit apparatus; nec minori sumptuum compendio, magni operis exercitu, maritimo itinere travecto. Præterquam vero quod publico satisfactum, avitum quoque peculium Auriaco reddebatur; quod illustri nominis fama, & annuo proventu, ad gloriam ac robur erat. Haud minus, quæ prospere evenerant, civibus placuere, donatis libertate; quam plurimi eorum, quorum sacra diversa, aliis non invidebant; cum nemo usum ejus aut magnitudinem intelligat, qui eam soli sibi vendicavit. Pauci tamen contumaces & publicæ lætitiæ adversos

animos

animos prætulere; illi potissimum, qui expugnata Sylva Ducis, fixisque Bredæ sedibus, nec bona sua, nec mutatam fortunam agnoscere didicerant; invisa fere inter eos libertate, qui, commoda ejus nunquam experti, pro amore odium induere. Nec voces, quas pertinacia excusserat, cuiquam noxæ fuere; dum in vanum petulantia oris comprimitur, ubi idem animus manet, & pœna magis induratur. Acerba plane sub Hispanis conditio civium erat, pacis & belli artibus haud unquam inter eos conjunctis. Ex necessitate enim, quæ primò inter arma prætenditur, mox licentia est; &, dum miles præfertur, quidquid civium est, & eorum querelæ postponuntur. Unde cum aliquando Bredanæ urbis Senatus pro suorum commodis apud militiæ præfectos supplex intercederet, accepit; Nullas civium " partes, ubi militum agerentur. Parum videri, si re- " liquorum fortunæ conciderent, modo bellantium " rebus prospiceretur. Vallum ac opera militiæ, " & artes, curæ suæ commissa. Cætera omnia post " illa esse. Non se agere exemplis aliorum, aut mo- " veri antiquitus institutis. Æquum esse quod vel- " lent; & velle, ut vetera, oblatæque preces, præsen- " ti cederent necessitati. Quod subvertendis legibus " erat, & cum odio audiebatur. Nec contra urgere tutum, vitandæ sinistræ suspicioni. quæ pro exitio est, dum qui lasciviam militarem deferunt velut in publici egregii bonum male affecti traducuntur. Hospitia, victus, pecunia, aliaque, quæ supra miserorum fortunam erant, civibus extorta. Quod leve, nisi insuper etiam inter verbera ac contumelias centurionum omnibus exuerentur, cum, clausis Batavorum commerciis, quibus ante floruerant,

familiæ alendæ vix pares essent. Agrestibus quoque mutatæ rerum vices lætæ acciderunt; qui inclementer hactenus & cum contumelia habiti ex nostrorum disciplinæ severitate feliciora sibi tempora pollicebantur. Omnes enim urbi ab Hispanis impositos, iniquissimos exactores senserant; unius Balanconii modestia laudata, qui, bello strenuus, quidvis militum virtuti, nihil lasciviæ unquam permiserat. Æstimatum inter alia ejus exemplum, cum Leurensi in pago, propter urbem, quibusdam raptu militum sublatis, & rei ignorarentur, tantum singulorum stipendiis detractum est, quantum pensando damno sufficeret. quem ad majora castrorum munia admotum iniquiores exceperant. At nemo, ne quidem hostium, exstitit, cui obsidionis ratio, robur urbis, operum vis; modici temporis spatium, parva cæsorum manus, alacritas ducis militumque, aliaque, admirationi non fuere. Vix trium mensium spatio omnia peracta, & hebdomades modo quinæ, præter tres muniendis castris & externo hosti datas, expugnandæ urbi impensæ. Cæsorum numerus ferme octingenti. Sumptus verò longe inferiores illis, quos olim hostes fecerant; fluviorum opportunitate, quibus in castra ferre omnia licebat. Namque cum his omnibus Ambrosii Spinolæ labor contendebatur, ut res magnas comparatione fere æstimamus. Menses ferme decem exacti, flos militiæ propemodum attritus, impensæ denique incomparabiles fuere, ut fame ad deditionem Breda cogeretur. Supplicationibus igitur & lætitiæ publicæ per omnem Fœderatorum ditionem indictus est dies; quo & auctor facti Deus, pro pietate gentis, agnosceretur, & afficiendis quoque

vulgi

vulgi animis, innata ei indole, ſine pompa res magnas non admirari; dejectâ ſimul pertinacia eorum, qui in hoſtem proniores, benificio libertatis cum tædio utuntur. Poſt ſolemnia ſacrorum peracta, doliis picatis ſub veſperam accenſis inter tenebras lætiſſimi ignes paſſim colluxere; majoribus machinis caſtrorum cum ſclopis pariter impulſis: & ex haſtis, affixo cuſpidi ſtramine, continuæ quaſi flammæ ſpectabantur. Oppida quoque caſtellaque, quæ proxima hoſtibus, omnem tormentorum vim non ſemel effudere. Quod Rhenobercæ propemodum exitio fuit. Urbs illa non ignobilis, Rheno adſita, quamquam Colonienſis agri peculium, quia præſidiis hoſtium ſub initia bellorum inſeſſa, & Fœderatorum ſecuritati inſidiabatur, inter adverſas cenſeri cœpit. Unde, fortuna ſæpius converſa, nuper ad deditionem coacta Auriaco ceſſerat. Nec leve in utilitatem publicam ex ea victoria pondus erat. Nam & quæ Rheno in Germaniam commercia crebro frequentantur, tutiora facta, & agro Geldrorum magis proſpectum, ac, quod ex ultro citroq; commeantium mercibus colligitur vectigal juvando ærario erat. Haud procul Geldra abeſt, oppidum vetus, & unde toti Provinciæ nomen; modicum illud quidem, ſed idoneo hoſtium præſidio, in crebras excurſiones, & circumjacentium metum. Varia in Rhenobercam, ſed improſpera hactenus conſilia erant, dum pari cura de tuenda & occupanda utrimque certatur. Quæ enim clam Geldrenſes moliti, à noſtris, cum cura palam agentibus, ſemper intelligi credebant. Quare auſa ſæpe, &, quotiens tentarent, ſucceſſus defuere. Igitur poſt ſolemnem veſperam, adultâ nocte, ſecuros, ut inter læta, præ-

ſidiariorum animos, frequentia pocula, & proin proſpera ſibi nunc perſuaſerant, vitiis hoſtium uſuri. Prima noctis vigilia erat, cum Geldra egreſſi peditum ſexcenti; lecta ex ſingulis cohortibus manus, & quæ ejuſmodi expeditionibus inſueverat. Ludta fluvius conatus eorum inprimis promovit. Cum enim juſto intervallo Rhenoberca abeſſet, & in foſſam ejus ſe effunderet, ignaris noſtris, facile ibi pontem ſtruere erat; qui vectibus aut contis urbem verſus traheretur. Septis vel aggere præcludi oſtium, & impediri aditum debuiſſe, periti locorum & artis notabant. Structo jam & pro foſſæ latitudine exporrecto ponte, vallum Geldrenſes conſcendere. Quæ objectæ ſudes, validæ, & clavis ferreis, quo plus negotii faceſſerent, ſuffixæ prominebant, confeſtim diſrumpebantur. Primus impetus urbis propugnaculo incubuit, cui præter unum alius miles præſidio datus non erat: quod ſive modicæ urbem cohortes tunc tenerent, vel nullum eo ex loco periculum crederetur. Quod gnarum hoſtibus, quibus magna fere ſunt quæ negliguntur, & pro voto fuit. Ille, ne muneri deeſſet, ſclopo, ut mos eſt, bis excuſſo, cæteros ad arma provocavit; quanquam pauci admodum initio convenerint. Salubre tunc habitum eorum conſilium, qui adverſum alios paullo ante ſuaſerant, ne inter lætitiæ ſolemnia fiſtulæ quoque a gregariis exploderentur; caventes, ne proſperorum ex pompa adverſa naſcerentur. Abſq; illo enim, pulveris pyrei inopia in tanto diſcrimine fuiſſet laboratum. Præerat urbi Wijnbergius tribunus, magni vir animi & agnitæ virtutis, ſed, accepto ad Bredam atroci vulnere, Hagæ, quæ Batavorum aula, curandæ valetudini, nunc

tempo-

temporis morabatur, curâ rerum in Ioannem Wieckenium, vigiliarum præfectum, tranſlatâ. Quem cum Harteveldio & Iohanne Arnhemio excitatus tumultus, ſiſtendis hoſtibus, in vallum exciverat. Milites eos quindecim tantum ſequebantur, cæteris aut nondum accinctis, aut quam acceperant, ſtationem deſerere non auſis; ut undique creditur inrupturus hoſtis, qui præter exſpectationem ſupervenit. Accedebat tam varius hac illac diſcurſantium tumultus ac clamor, ut, aliis alia præferentibus, obſequia & imperia non potuerint diſtingui. Quod non tam negligentia præfecti & centurionum, quam magnitudine motus evenerat; quo, omnibus conſternatis, ſua quique conſilia fere ſequebantur; nonnunquam majoribus hoc pacto effectis, quam ubi duces improvidos aut ignavos nacti ad eorum vitia potius, quam impetum ſuum ſe componunt. Nox etiam augendo terrori turbandiſque inter ancipitia conſiliis erat. Wieckenius igitur copiis hoſtium miſcetur. qui amicos ſe primo ſimulavere, differenda aliquantiſper hoſtilia rati, ne fiſtularum impulſu plures noſtrorum excitati ad certamen concurrerent. Mox tamen agniti ſunt, & acriter pugnabatur. Tum numero & fortuna inferiores noſtri ſuccubuere. Cæſo Wieckenio, vulnere percuſſus Aernhemius, & Harteveldius captus Geldram a fugientibus tractus eſt. Ita ſpe potiundæ urbis jam animati ad Orſoyenſem portam raptim ſe contulere. Ubi, obicibus & pontibus diſruptis, tribus quatuorve equitum turmis, quæ, urbem propter, eventum & aditum præſtolabantur, viam fecerunt. Sed eorum duo tantum progreſſi, glandibus noſtrorum occidioni

dati ſunt. Reliqui enim in urbem ſe immittere verebantur, quod, vel patere portam, vel a ſuis feliciter hactenus geſta ignorarent. Retulere qui interfuerant, picea face aut aliis ſignis ſublatis, equites de ſuorum rebus certiores fieri debuiſſe. Vrbi tamen extrema imminebant, quæ ut hoſtilis equitatus ignavia avertit, ita noſtrorum ſupina negligentia augebantur. Neq; enim demiſſæ aut laxatæ † trabes, quæ è tabulatis portarum paſſim ſuſpenſæ, ingruentibus hoſtibus, quò via auferatur, velut concædes quædam, dejici ſemper conſuevere. Interea prioribus peditum virtus ſerio inſtabat; jamq; quatuor munitiſſima valli propugnacula inſederant; & impetum eorum ſiſtere infra ſpem noſtrorum erat. Reperti tamen qui ad portam urbis interiorem ſe reciperent, quâ nondum captâ cætera parum hoſtibus erant profutura. Patuerat illa hactenus; intellecto Geldrenſium adventu demum occluſa. Quod exitio illis, & noſtris ſalubre inprimis fuit. Major tamen machina è proxima valli mole educta; ſed poſt primum impetum, fracto ejus vehiculo, nihil omnino noſtris damni inflixit. Non tamen ideo minor omnium metus, & quorundam par adverſum diſcrimen cura fuit. Goriſius quidem, natione Gelder, & vexillo donatus, quanquam ejus noctis vigiliæ non obtigiſſent, eum ad locum alacri animo contendit, deprehenſoq;, abeſſe præſidium iſtic agentibus ducem, oblato periculi contemptu & miniſterio; virtutem omnium, promiſſis aut neceſſitatis æſtimatione accendit. Ita in hoſtes itum, & manus conferebantur. Oppoſita noſtris quæcunque ad extrema redacto militi poterant inferri, ſed ſupra omnia fides & præſentibus major animus erant. Cecidere


† Schot-balcken.

Gel-

Geldrensium aliquot, quibusdam animus imminutus. Et elusus mox omnis eorum conatus, dum quod in nostris crescere visum animi robur, a suis nequidquam exigebant. Vnde ad incompositam fugam incitati, magnam armorum vim sparsere. Eorum ferme sexaginta ferro aut profundo aquarum sublati; abrupto, cum ingruerent, ponte, ne quis de fuga ante victoriam cogitaret. Joannes Verdugius, Geldræ præfectus, & ejus ex sorore nepos Antonius Menesius, equitum turmæ dux, veteris uterque inter Hispanos prosapiæ, paullo ante capti in urbe adservabantur. quos tamen suorum consilia clam fuisse compertum est. Nuncio lætus Auriacus missis litteris urbani magistratus prudentiam, alacritatem militum, laudata omnium fide, commendavit. Ad hæc moniti, ut * vigiles extra urbem * Ronde. dispositi, quavis nocte ambitum ejus frequentarent. ita enim in tempore intelligi irrupturos. Id quoque jam ante præceptum, factumque, sed excubitorum aliquot captis, hactenus neglectum; censente interim Auriaco, pluribus submissis mala averti, & paucorum damno urbis securitatem præponi debuisse: Inter hæc Bredæ instaurandæ ejusque securitati Auriacus quæ necessaria impendit, Equitum turmis septem, peditum centuriis ultra triginta, præsidio datis. Suprema eorum cura, ob meritum & vigilantiam viri, Steincalveldio imposita, dum perpetui tituli dignitas propter ambitum multorum & certamina potentium nondum offerebatur. Quippe cum plures eam exposcerent, & singulorum esset ratio, omnibus dilatis, nemo postpositum se querebatur. Refecta mox opera, pontes, aliaque quæ tormentorum violentia disjecerat. Imminebat tum adhuc

huc urbi periculum ex veteri Hispanorum præsidio, quod justæ suspicionis metu, & interpretando, augebatur. Namque, hostibus stato die Breda egressis, clam & sine venia aliquot eorum remanserant. Tubarum igitur tympanorumque impulsu, ut se continuo sisterent, Hispanorum militiam sequutis palam indictum; proposita gravi pœna si præstare abnuerent quod imperabatur. Convenere igitur omnes, & a plerisq; partes nostræ præferebantur. Qui post solemne in fidem juramentum varias inter cohortes sunt tributi, ne, si dolus subesset, vigiliis vexillisque conjuncti, promptioribus insidiis uterentur. In magistratum urbanum adlecti, qui veteris experientiæ & publicarum rerum periti erant. Cornelius Aerssenius, Wernhoutæ dominus, optimarum, & quæ pares tantis negotiis, artium studiis ac raræ comitatis gloria insignis, maximæ dignitatis præturæ munus accepit. Ioannes Aerssenius, equestris vir ordinis, & multo civilis prudentiæ usu instructus, primum ingressus est consulatum; addito collega Guilielmo Snellio, quem sua virtus & parentis merita commendabant. A quibus constitutum quidquid ex commodo disjectæ Reipub. erat; quæque postposita hactenus, civibus reddita, auctoritate imperantium ac usu valuere.

F I N I S.





NOMENCLATOR STRATEGICVS

Quo militaris artis, qualis ea hodie & in hoc opere deſcripta eſt, vocabula quædam exponuntur.

A.

ACcliviras, *Talud*, *Docering*. Inclinatum opus, inclinario operis, Cataneo. Cum in pedes aliquot altitudinis, pes unus, aut plures latitudinis pereunt.
Acclive opus, *Contraſcarpe*.
Adirus, *Sortie*.
Alæ, *Flancken*.
Architecti milirares, *Ingenieurs*.
Armamentarium, *Plaetje van amonitie*.

B.

BOmbardæ majores, *Muſquettons, dubbelde haecken*.

C.

CAſtellum, *Fort, Schanſe*.
Cenrurio, *Capiteyn*.
Circuitus caſtrorum, *Circumvallatie*.
Cohors Prætoria, *de Guarde*.
Colles, *Cavalliers*, *Catten*; Valla prominentia, Cataneo.
Caſæ militares, *Corps de guarde*.
Columellæ in vineis, *Binten*.
Conti ſtellati, *Morghenſterren*.
Corbes jaculatorum, *Schanskorſkens*.
Cornuta opera, Cornuta moles, *Ouvrages à corne*, *Hoornvvercken*.
Coronata opera, *Ouvrages couronnes*, *Croonvvercken*.
Cuniculi, *Mijnen*.
Cuniculi adverſi, oppoſiti, *Contremijnen*. Tranſverſi, Cataneo.

E.

EChinus, *Frieſche Ruyter*.

F.

FIſtulæ, tubi, *Muſquetten*.
Fiſtularii, jaculatores, *Muſquettiers*.
Frons operis, *Face*.
Funes, fomites, incendiarii, *Lonten*.

G.

GLandes, *Muſquetkoghels*.

H.

HAmotrahones, *Haecken*.
Hiatus valli, disjecta mœnium, ruina humi, *Breſche*. Labefactatio muri, Caraneo.

L.

LEgio, *Regiment*.
Limes extimus circumvallationis, *Linie van Circumvallatie*.
Limites traverſi, *Traverſen*.
Lorica, *Parapet*, *Borſtvveering*.
Lorica valli inferioris, ſive ambuacrum, *Faulſſe Braye*.

M.

MOles, *Ravelijn*.
Munimenta, *Bolvers*, *Bolvvercken*.
Munitiones externæ, opera exteriora, *Buytenvvercken*.

O.

Optio, *Lieutenant.*
Opus abscissum, *Afghesneden vverck:* aliis, Operis segmentum.

P.

Pilæ Granatenses, Granatæ, *Granaten.*
Præfectus vigiliarum supremus, *Sergeant Majoor Generael.*
Præfectus vigiliis, *Majoor.*
Propugnaculum, *Bolvverck.*
Protribunus, *Lieutenant Colonel.*
Pulvis pyreus, pulvis nitratus, *Buscruyt.*

R.

Reductus, Receptus, *Redoutes, Corps de guarde.* Corpora præsidiaria, Cataneo.

S.

Satelles, *Sergeant.*
Scabella, *Banquetten.* Scamna, Cataneo. Est autem id spatium, quo latius exporrigitur fundamentum, quam lorica ei imposita.
Sclopetarii, *Vierroers.*
Sclopus, *een Vierroer.*
Sectio operum militarium, *Coupure, Affnydinghe.*
Signifer, *Vaendragher.*
Statio, *Quartier, Rendevous, Redoute, Corps de guarde.*
Sudes, *Palissaden.*
Suggestus tormentorum, *Batteries.*

T.

Tormenta, *Canons.*
Tormenta campestria, *Veldtstucken.*
Trabes portarum pensiles, *Schotbalcken,*
Tormentorum magistri, *Constapels.*
Tribunus, *Colonel.*
Tubicines, *Trompetters.*
Tympanotribæ, *Trommelslagers.*

V.

Vasa operis quadrati, *Backen.*
Vehicula machinarum, *Affuyten.*
Vela viarum, opercula viarum, *Blinden.*
Vertex, *Cruyn van 't vverck.*
Via obsidionalis, accessus operum, *Approches, Loopgraven.*
Viæ obsidionalis tractus, *Trenchee.*
Vineæ, *Galderijen.*

Tabulæ obsidionalium viarum, quibus in Cornuta opera ibatur, a Francisco Schoteno, Mathematicarum rerum peritissimo, aliæque à Vleugelio, aliisque militarium operum architectis, summa cum fide sunt designatæ.



INDEX



INDEX
RERVM ET PERSONARVM.

A.

B.

Condæus

L.

M.

S.

T.

FINIS.

